

LIBER QVARTVS

Proemium.

[1] Tam plene de pronominum qualitibus dictum esse puto, ut nihil uel minimum adiici posset. Tempestiuum est ut ad *quis* uel *qui*, de quo tam crebra facta est mentio, praesertim praeter relationes uel mutuas et ad eius composita syllabicasque adiectiones ipsius et ad illa octo, *unus* scilicet *ullus, solus, alter, uter, nullus, totus* et *alius*, quae secundam pronominum declinationem in declinando sequuntur, quaeque inter pronomina collocantur, et ideo non nulli pronomina esse putauerunt, transitum faciam quasdam de his quoque regulas allaturus. (2) Si prius omnes ipsas centum uiginti tres regulas super pronominum qualitibus in compendium quondam reduxerim, ne tot regularum uarietas et copia confusionem pariant, et ita legentes eandem materiam plenissime et breuissime quoque examinatum inuenient.

I. Quid est pronominis qualitas et quotuplex.

[1] Pronominis igitur qualitas, quae accidens eius praecipuum et quasi substantiale est et ad ipsius inuentionem spectans, duplex est: demonstratio et relatio. Demonstratio est certa rei uel oculis uel intellectui ostensio. Relatio uero est rei ante latae recordatio, quae totuplex esse potest, ut et per *is* solum ad septenarium numerum possit ascendere. (2) Pronominum uero quaedam sunt demonstratiua tantum, ut *ego, tu, hic* et *iste*, sed *iste* ad oculum tantum proprie, *hic* autem nunc ad oculum, nunc ad intellectum; duo relatiua tantum, *sui* et *is*; duo demonstratiua et relatiua insimul, ut *ille* et *ipse*.

II. De ego et tu.

[1] Nec mirum *ego tuque* demonstratiua tantum esse, siquidem uterque persona praesens esse demonstratur et loquentis eiusque, cui fit locutio. Verum si quandoque defunctus uel absens introducatur nobis in prima persona loqui, et absenti dirigatur sermo, haec figurata sunt et per prosopopeiam et apostrophen excusantur. (2) Sed et *ego -met* assumens, et *tu -te -temetque*, et *sui -met, hique -ce* et omnia pronomina primitiua sibi *ipse*, quod omnium pronominum sit commune adiunctiuumque, applicantia deriuatiuaque parte in ablatiuo singulari generis feminini reponentia significantiam, id est excellentiam et dignitatem quandam et plerunque discretionem, hoc est rem per aliquem solum sine aliis factam fuisse notant.

III. De sui.

[1] *Sui* uero proprie reciprocum est, nominatiuo et uocatiuo carens. Significat enim actum uerbi in personam reciprocari, id est conuerti reflectique agentem, ita quod una eademque persona respectu unius eiusdemque uerbi sit agens et patiens. *Sui* quoque, ut *suus* eius deriuatiuum, transitiuum est, ut *deus creaturarum suarum miseretur*, sic improprie retransitiuum est, quando persona in clausula praecedenti agens, non a se, sed ab alia tunc agente, sed prius patiente, patitur. (2) Actus enim sequentis uerbi in eandem personam, prius agentem, nunc uero patientem, retransit, ut *Ioannes Raimundus Ferrarii orat atque orat deum clementissimum, ut misereatur sui*, et hoc fit ut plurimum. Non nunquam tamen in persona patientem prius seu quae agens non fuisse, per *sui* fit retransitio. Sic *scripta sacra legamus, ut sui memores sibi affectu se penitus obseruemus seque in futuri gaudeamus*. (3) Et uterque retransitionis modus improprius est habendus, sed magis posterior, quippe cum in neutro tunc surrogari putatur et interpretari debet, ut et uice uersa *eius, ipsius* et *illius* pro *sui* saepenumero collocantur. Et *sui* primitiui genitiuus alii substantiuo iungi et ad personam uel agentem uel patientem referri potest, ut *magistratus potestatem sui faciant, etsi admoniti non excitentur ad sui defensionem*. (4) Et *sibi* cum modico repeti interuallo, ut et *se* in accusatiuo ablatiuoque seque geminari reperitur, sed *meme, tete* per figuram episeusim. *Se* quoque uel nunc personam agentem, nunc patientem dicit, et *sui* per omnes casus *-met* recipit etiamque quandoque *ipse* adiicit in obliquis. (5) Et aliquando *-met* sine *ipse* et econtrarium, ut ita significantia uel discretio pernotetur. *Sui* quoque loco *sua* poni debet, cum *interest, refert* et *est pro pertinet* adiungitur.

IV. De ille, iste, hic, is, idem, identidem, ipse.

[1] *Ille* uero longe positum absentemue demonstrat et plerunque a Cicerone pro homine uel re minus principali ponitur, raro pro principali quoque. *Iste* uero prorsus econtrarium, nam et *iste* spacio breuiore uel de praesente uel principaliter actitato uel de re locoue eius, ad quem loquimur aut scribimus, intelligitur, ut et *hic* de re principali uel praesenti uel loquentis scribentisue locoque alterutrius, et *ille* de quopiam tertio reue locoue eiusdem. (2) Quae et in aduerbiis inde procedentibus est dicendum. Saepius tamen apud praeclaros auctores *hic* quam *iste* de propinquiori et *ille* quam *is* de remotiori uel cum geminatione dicitur. (3) Demonstratiua uero primam noticiam faciunt, relatiua secundam et *is*, quod tantummodo relatiuum est, relationem primam, *idem* ab eo compositum secundam, *identidem* decompositum tertiam ex arte facit, ex usu tamen multiplicatoque auctorum *is* cum interuallo quodam et quandoque saepenumero repetitum, non modo secundam, sed et tertiam, quartam, quintam, sextam septimamque relationem reddit, quod et *ille* et *iste* nonnunquam fecisse lego. (4) *Hic* quoque rem eandem saepe demonstrat, et aliquando sed abusiue, ut et *iste*, refert. Abusiue nanque saepe pronomina collocantur, et unum locum alterius occupat, unumque loco alterius surrogatur. Nam et *idem* quandoque primam, et *is* secundam, et *hic*, *ille* uel *iste* tertiam relationem, et econtrarium, representat. (5) Et quoque multotiens *is* et *ille* et econtrarium, id est *ille* et *is*, ut et *hic* uel *iste* et *is* uel *ille* uiceque uersa, de eodem cum interuallo quodam referuntur, et non nunquam ununquocque eorum cum minima distantia repetitum dicitur de diuersis. Et tanta est inter ipsa uarietas et confusio multiplicataque abusio, ut uera illorum proprietates flaccescat saepenumero, et unum surrogari pro altero censeatur. (6) *Ipse* omnibus aliis pronomibus potest adiungi, et licet demonstratiuum relatiuumque esse dicatur, tamen duntaxat demonstratiuum est, cum id pronomibus demonstratiuis adiicitur, ut *ego ipse*, *tu ipse*, *ille ipse*, *iste ipse*, *hic ipse*, uel quando solum uerbis primae secundaeue personae supponitur, ut *ipse lego*, *ipse delectaris*, nam et hic *ego* uel *tu* subintelligitur. In ceteris autem modis naturam relatiuum experitur et exercet, eamque frequentat. (7) Illud autem non debet omitti, quod inter haec pronomina et *qui* mutua sit relatio, proprie uero inter pronomina relatiua et *qui*, ut *ipse qui currit mouetur* et *is qui bene uiuit in deo manet*. De natura uero *suus* aliorumque deriuatiuorum pronominum supra in epistula et libris quaere praecedentibus.

V. Regulae super VIII nominibus unus et ullus et ceteris, et quis uel qui, secundam pronominum declinationem sequentibus.

[1] De regularum compendio pro qualitatibus pronominum ante oculos collocandis satis est. Deinceps ad *quis* uel *qui* eiusque composita syllabicasque adiectiones et ad cetera octo secundam pronominum declinationem sequentia, de ipsis quoque regulas formaturus transgrediar. Verum cum in 2^o libro prius de his octo quam de *quis* uel *qui* egerim, hic eundem ordinem prosequar, ut rei breuitas cum copia facilius comprobetur.

[2] Prima igitur regula dari potest, quod illa octo nomina: *unus*, *ullus*, *uter*, *nullus*, *solus*, *alter*, *totus* et *alius*, iuxta secundam pronominum declinationem uariantur, ut *unus*, *-a*, *-um*; *unius*, *uni*; licet *neuter*, *-a*, *-um* primam secundamque nominum in usu frequentiore teneat, ut *neuter*, *-a*, *-um*, genitiuo *neutri*, *-ae*, *-tri*, datiuo *neutro*, *-ae*, *-o*, quem modum et alia penes antiquos sed rarius imitantur, qui etiam *neuter* genitiuum in *-ius*, datiuum in *-i*, secundum sui simplicis uariationem declinasse leguntur.

[3] 2^a regula est quod horum octo, tria duntaxat composita legimus: *alteruter*, *uterque*, *neuter*.

[4] 3^a. *Alteruter* licet ex duobus integris componatur, tamen ut in recto in genere feminino et neutro *alterutra alterutrum* eufoniae causa facit, et non *alterautra*, *alterumutrum*, propter hiatum euitandum, sic in genitiuo quoque *alterutrius* et non *alteriusutrius* declinando reddit. (2) Cum enim duae regulae inter se pugnent, quarum prima est, quod ex duobus rectis composita utrinque flectantur, ut *iusiurandum*, *iurisiurandi*, *iurisiurando*, altera uero est quod omnia nomina et pronomina, quae in *-ius* terminant genitiuum, hunc communem trium generum habere debent, ut *unus unius*, *una unius*, *unum unius*, *ille illius*, *illa illius*, *illud illius*, *alteruter* secundum priorem *alteriusutrius*, secundum uero alteram *alterutrius* debet facere. (3) Cum igitur potius secundam quam primam propter rectum in masculino femininoque seruari teneatur, prior omittatur est necesse, et ita masculinum feminini neutrique declinationem imitatur. Nam minor pars maiore sequi debet, nec hoc in declinando tantum, sed et in accentuando comperitur, ut *uterque*, *utraque*, *utrunque*, *plerusque*, *pleraque*, *plerunque*, quippe cum femininum quamuis penultimam

breuem teneat, tamen in ea moderatum accentum, ut masculinum neutrumque obseruat. (4) Nam et *Doctrinale* dicit (11, 2.325):

«Pleraque proferre, cunctando uel *utraque* disce»,

nec modo in his causa consortii regulae impediuntur accentus, sed et in *cuius*, *-a*, *-um*. Cum enim *cuius* propter coincidentiam de genitio *cuius* remouenda in ultima acuatur. Idem de *cuiá* et *cuiúm*, propter masculini consortium est dicendum. (5) Deinde in compositis a *facio* sine corruptione *fiocque* et *iubeo capioque* seruatur idem, in qua nanque uocali prima persona retinet accentum, in eandem et secunda et tertia, ut *benefácio*, *benefácis*, *benefácit*, *benefio*, *benefis*, *benefit*, licet in *benefácis* et *benefácit* penultima breuietur, et *benefis*, *benefit* dictiones sint latinae. (6) Et ideo propter penultimam breuem in antepenultima retinendus esse accentus; secus est si *-a* corrumpatur, ut *iustificacio*, *iustificacis*, *inficio*, *inficis*, ut Priscianus in VIII^o dicit (8, 35). Idem quod de *benefácio*, *-is*, *-it*, de *fideiúbeo*, *fideiúbes*, *fideiúbet* assero. Identidem de *usucápio*, *usucápis*, *usucápit* teneri debet; (7) licet multi in antepenultima accentum retineant, quod Ioannes de Balbis laudat, qui de his in suo *Catholicon*, in secunda parte sui operis, capitulo *De impedimentis accentus*, § *Consortii causa* (2, 2, 6), plene scribit, quod ante *Doctrinale* in IX^o tetigerat capitulo (11, 2.320-21):

«Accentum seruant in compositis *facit* et *fit*,

Dum uox composita uocalem seruet eandem».

Quod ad huius regulae confirmationem dicit in primo (1, 316-17):

«Rectos compone, simul inflectuntur utrinque.

Non sic *alterutrum* declines, nec *leopardum*».

(8) Et iuxta *Catholicon* in quinta parte: «*Alteruter* ex *alter* uterque componitur et *alteruter*, *alterutra*, *alterutrum* fit, id est *iste* uel *ille* uel uterque ambo, et inde *alterutrum* aduerbium, id est mutuo. Vnde in *Epistula* Iacobi (Greg. *Mor.* 22, 15): "Confitemini alterutrum peccata uestra". (9) Plenius in tertia parte, capitulo *De composita figura*, § *De compositione autem integrorum*, ubi sequens Priscianum in V^o (5, 61), sic inquit: «Si ex duobus nominatiuis fiat compositio, uterque declinatur, ut *res publica*, genitio *rei publicae*. Sin autem nominatiuis ex duobus obliquis componatur, utrinque remanet indeclinabile, ut *huiusmodi* et *officiiperdi*. (10) Quod si ex nominatiuo et obliquo, duntaxat ex parte recti fit uariatio, ut *senatusconsultum*, *senatusconsulti*. Excipitur *alteruter*, quod licet ex duobus componatur rectis, *alterutrius* et non *alteriusutrius* efficit». (11) De quo post Prisciani rationem reddit in eodem V^o (5, 62), sic dicentem: «Nam cum duae pugnent inter se regulae, ut alteram seruet, necessario perdit alteram. Omnia enim nomina uel pronomina, quae genitiuum in *-ius* terminant, debent hunc communem habere trium generum, ut *unus unius*, *una unius*, *unum unius*, *solus solius*, *sola solius*, *solum solius*. (12) Cum igitur femininum et neutrum supra dicti nominis ex corrupto et integro sint composita hiatus causa et euphoniae alteruter pro alterutra et alterutrum pro alterumutrum, et necessario extrinsecus habuerunt declinationem, id est *alterutrius*. Itaque masculinum quoque eorum est declinationem secutum propter rationem supradictam in *-ius* terminantis genitiuum qui communis trium generum uult esse. (13) Nec solum tantum in declinationibus nominum hoc contigit, sed etiam in accentibus, ut *utérque*, *utráque*, *utrúmque*, *plerúsque*, *pleráque*, *plerúnque*. Femininum enim quamuis penultimae breuis sit, accentum tamen in ea habuit acutum, sicut masculinum et neutrum. Vetustissimi et *alterutra* et *alterumutrum* et *alteriusutrius* solebant proferre, et *plerus*, *plera*, *plerum* absque *-que* additione. Et de *alteruter*, *alterutra* uel *alterutra* et aliis praelibatis». (14) Idem Priscianus in VIII^o circa finem (8, 35) generis propter antedictos accentus sic ait: «Sciendum tamen, quod *facio* et *facior*, ut ostendimus, uetustissimi proferebant. Si uero *facio* uerbo uel *fiio* integris manentibus aliud uerbum antea infinitum componatur, non solum significationes et coniugationes integras eis seruamus, sed etiam accentus, ut *calefácio*, *-is*, *calefácit*, *tepefácio*, *tepefácis*, *tepefácit*. In secunda enim et tertia persona penultimas acuimus, quamuis sint breues. Similiter *calefío*, *calefís*, *calefít*, *tepefío*, *tepefís*, *tepefít* finales seruant accentus in secunda et tertia persona, quos habuit in simplicibus». (15) Idem Petrus Heliae in eodem VIII^o tenet (Reilly 473): qui tamen in V^o, ubi de figura docet, super *leopardus* contra *Doctrinalis* opinionem ait: «*Leopardus* quamuis componatur ex duobus rectis, declinatur tamen tantum ex altera parte, ut plerisque uidetur, et facit *leopardi* in genitio, in datiuo *leopardo*, et deinceps ita ut ex uterque parte fiat declinatio». (16) Et hanc opinionem sequitur Hugutio. Sed cum *Doctrinali* magister Beneduentus est, et *Catholicon* tenentes ex *leena* corrupta et *pardus* integra compositionem fieri, et dicitur *leopardus* ex *leena pardoque* natus. Aegidius quoque libro II^o, capitulo 2^o, circa finem de compositis *facio* et *fiio* refert et sequitur Priscianum, sed tandem illi adiiciendo subiicit: (17) «Addunt multi quod si in compositis de *fiio* mutetur genus, ut in *suffío*, *infío*, *confío*, quae sunt actiua, accentus non supra penultimam sed supra antepenultimam debet esse, unde regula intelligitur, et ualet nisi mutetur uocalis, ut *perficio*,

pérficis. Et nisi mutetur genus, ut in *suffio*, *suffis*, quia, si non mutetur uocalis in *facio*, habet accentum in penultima, patet in *calefácis*, ubi accentus est in penultima. Similiter nisi mutetur genus, ut in *suffio*, habet accentum, sicut suum simplex. (18) *Catholicon* uero dicit: «*Fio*, *fis*, *fit*, *factus sum*, id est incipere esse, de non esse transire ad esse, quod enim fit, non est, quod est, non fit. Et est neutropassiuum quantum ad uocem, et neutrupassiuum quantum ad significationem, et debet habere tria participia, scilicet *fiens*, *factus* et *futurus*, sed *fiens* non est in usu, et hoc hac ratione, quia hoc uerbum *fi* est quasi passiuum huius uerbi *facio*, sed omne passiuum caret participio praesentis temporis. (19) Et ideo *fiens* in usu non est, licet fuerit in antiquorum usu. Item *fi* deberet facere *facturus* participium futuri temporis, sed quia esset coincidentia cum participio futuri temporis huius uerbi *facio*, quod est *facturus*, ideo *fi* habet *futurus* participium futuri temporis et nunquam *facturus*. (20) Et componitur *fi* cum omnibus eisdem dictionibus, cum quibus et *facio*, et ita, ut suam litteram non mutet, ut *benefacio*, *benefio*, *malefacio* et *malefio*, *satisfacio* et *satisfio*, *calefacio* et *calefio*, *tepefacio* et *tepefio*, *expergefacio* et *expergefio*, *nihilifacio* et *nihilifio*; et sunt loco pasiuorum ad illa. (21) Item *fi* componitur cum *con* et transit in actiuam significationem, et dicitur *confio*, *confis*, *confiui*, *confitum*, id est conficere; accipitur tamen *confire* in passiuam significationem, scilicet pro *effici*. Item *defio*, *defis*, *defiui*, *defire*, id est delinquere, deficere, defectum pati. Item componitur cum *sub*, et dicitur *suffio*, *-is*, *suffiui*, *suffitum*, id est suffumigare, sumministrare. (22) *Fio* est neutrum, et composita ab eo, quae non mutant litteraturam illius, omnia sunt neutra, et habent accentum super eandem syllabam, super quam et simplex, iuxta regulam illam: quotiens *facio* uel *fi* componitur, ita ut non mutetur litteratura simplicis, super eandem syllabam est accentus in composito, super quam est in simplici. (23) Quae uero componuntur a *fi*, ita ut mutant litteraturam sui simplicis, et accentus mutant, et actiuam sunt, praeter *defio* pro *deficere*, quod est neutrum. Et nota quod *fi*, *fiendam* producit *-i-* puram ubicunque non habetur *-r-*, cum omnibus suis compositis, quando significat passionem, nam si *-r-* sequitur ad *-e-*, breuiatur *-i-* ante *-e-*, ut *fierem*, *fieri*. (16) Et, ut dicit Varro, ideo *fi*, *fis* producit *-fi-* quia est passiuum de *facio*, unde quia passiuum parificatur actiuo, ideo *fi* producit primam, ut tempore saltem parificetur, ut quod amisit in syllabis recuperet in temporibus. (24) Facetus: "Nunquam spina nocens fiet odora rosa". Et, ut dicit Papias, *fi*, *fis* quartae coniugationis producit penultimam in omni dissyllaba, licet uocalis ante uocalem sit, ut *fi*, *fiam*, inde componitur *suffio*». (25) Ego quidem potius *Catholicon* quam illos multos ab Aegido recitatos tenentes in compositis a *fi* mutantibus genus, ut in *suffio*, *infio* et *confio*, supra antepenultimam accentum retineri debere, sequendum puto, ut et in his non supra antepenultimam, sed penultimam, quae longa semper est, collocetur accentus, quamuis enim causa productionis primae syllabae in *fi* sit, ut, postquam de *facio* passiuum erat, et passiuum suo actiuo par in syllabis fieri solebat, suppleret in temporibus quod amittebat in syllabis, tamen secundum compositorum regularum in quocunque composito cum eadem productione remanere et ibidem accentum retinere deberet. (26) Vnde idem *Catholicon* in 2^a parte sui operis super regulis accentus generalibus, ait in principio (2, 10): «Vocalis ante alteram uocalem apud Latinos breuiatur, ut *deus*, praeter *fi*, *fiendam*, quod producit *-i-* puram, ubicunque non habet *-r-* cum omnibus suis compositis, quando significat passionem, nam si *-r-* sequitur ad *-e-*, breuiatur *-i-* ante *-e-*, ut *fierem*, *fieri*». (27) Idem in V^o parte, in uerbo *confio*, dicit: «*Confio*, *confis*, *confiui*, *confire*, id est efficere, ex *con* et *fi*, et transit ad actiuam significationem, scilicet pro *effici*, et producit *-i-* ante *-o-* in *fi*, inde *infio*, *infis*». Idem in *infio*: «*Infio* ex *in* et *fi* componitur, *infio*, *infis*, sed modo non est in usu. (28) Vnde Aristoteles in primo *De generatione*. "Infimus tristantem aliquando tangere nos, sed non uos eum". Plato etiam hoc uerbo utitur, *infimus*, id est dicimus, et producit *-fi-*. Papias uero dicit: "*Infis* ceteris deficit. Antiqui tamen *infis* dicebant, id est incipiunt fari". Idem in *suffio* ad uerbum *fi* se remittit. Et Seruii auctoritate *suffire* fumigare est. Virgilius III^o *Georgicorum* (4, 241):

«Aut suffire thimo».

(29) Apud *Compraensorium* dicitur: «*Confio*, *confis*, *confiui*, *confitum*, id est efficere, et pro *effici* in passiuam significationem accipitur». Et in *infio* dicit: «*Infio*, *infis*, *-it*, ab *in* et *fi* erat antiquitus, sed nunc non inuenitur nisi *infis*, id est incipit fari». In *suffio* uero subiicit: «*Suffio*, *-is*, *-iui*, id est suffumigare uel administrare». (30) Tandem apud Priscianum Petrumque Heliae in octauo reperitur (8, 62): «*Infis*, cuius Varro (fr. Bip 253) in mensuris etiam primam ponit personam *infio*».

[5] Idem Priscianus in eodem VIII^o, in fine, ubi de personis defectiuus in uerbis determinat (8, 103), sic inquit: «Praeterea in nominationibus, id est onomotopeis, siue nominum siue uerborum nouis conformationibus non omnes declinationis motus sunt quaerendi, ut *tinniat*, Persius (5, 106):

"Sub aerato mendosum tinniat auro",

et *tarantara*, Ennius (*Ann.* 2, 35):

"At tuba terribili sonitu taratantara dixit".

(2) Et etiam apud Graecos, *sizio. Pluit et tonat et fulminat* et multa similia quae ad homine non pertinent, proprie quidem ad tertiam dicuntur personam; possunt tamen in prima inueniri persona et secunda per poetarum prosopopoeias, id est conformationes, uel per responsa dei et per apostrophas, quasi ad ipsum Iouem praesentem. Et sunt quasi propria uerborum, quae ad solum Iouem pertinent. (3) Reperiuntur tamen et alia uerba, quae in usu deficiunt personis, ut *cedo, sodes, salue, furis, aue, infit, foret*, quamuis in *fio* et *furo* apud Varronem inueniuntur (fr 59) et *forem* apud Terentium in *Hecyra* (525)¹ fore quoque dicitur, ex quo *confor*. Quamuis autem non nulli dicant *fiabam* in prima corripitur, eo quod non dissyllabum, sed trissyllabum sit. (4) Cum in X^o *Doctrinale* (10, 1.689-90) dicat:

«Et *fio* cum *fit* dissyllaba uox, breuiatque
cum polysyllaba *fit fieri* probat hoc *fieretque*»

et aliqui scribentes ibi hoc teneant, tamen illam produci asseuerandum est, ut de *fiam* est dicendum, et hoc per *Doctrinalis* regulam in X^o (10, 1.620):

«In deriuatis sua quae sit origo notabis»,

et cetera. Vt enim *fio, fis* in prima producitur, ita et *fiabam* et *fiam*, quae inde descendunt. (5) Nam in IX^o, post principium, Prisciano teste (9, 2-3), et tertia et quarta coniugatio solet ex prima persona gignere tam praeteritum imperfectum quam futurum: praeteritum imperfectum mutatione *-o-* in *-e-* productam et additione *-bam*, ut *lego legebam, facio faciebam, audio audiebam*; futurum mutatione *-o-* in *-am*, ut *lego legam, facio faciam, audio audiam*; exceptis in *-o-* desinentibus, quae a secunda persona faciunt supradicta tempora». (6) Itaque sicut in *fio* prima producitur, ita in *fiabam* et *fiam*, *fiemus* et *fietis*, a *fio* profluentibus. Quod autem *Doctrinale* de uoce polysyllaba exceperit, id de ea intellexit in qua *-r-* post *-e-* subsequitur, ut in *fierem, fieri*, quod in exemplis declarat manifeste. Ideo mirum esse non debet si *Catholicon* in 2^a V^a quae parte dixit quod *fio, fiabam -i-* puram producat ubicunque *-r-* non habet, cum eius compositis, quando passionem notat, nam si *-r-* ad *-e-* subit, breuiatur, ut *fierem, fieri*. (7) Nec abs re dixit *quando passionem notat*, quia in compositis actionem significantibus, *-i-* uel non pura, licet *-r-* subsequatur, omnino producitur, ut *confio, confirem, confire, suffio, suffirem, suffire*. Mutationem litteraturae in compositis a *facio* intelligo quando *-a-* mutatur in *-i-*, ut *facio, perficio, conficio, inficio, efficio*. (8) In compositis uero a *fio*, si in praesenti optatiui et praeterito imperfecto subiunctiui praesentisque infinitiui post *-i-* remota *-e-* *r-* sine medio subsequatur, ut *fio, confio, confirem, confire, suffio, suffirem, suffire*, in his enim compositis *-i-* producitur, et ibidem retinetur accentus, sed in secunda tertiaeque persona praesentis indicatiui accentus in prima collocatur, qui in secunda syllaba profecto acuitur, si litteratura non mutatur, ut *calefio, calefis, calefit, tepefio, tepefis, tepefit*, et similia. (9) Quod et in *defio, defis, defit* neutro, id est pro delinquere, deficere patique defectum dicerem, licet sui simplicis litteraturam mutet, quippe cum et *defirem* et *defire* faciat, in quibus, ut et in *confire* pro effici, etiam accentum, ut in *confirem, confire* pro *efficere* et *suffirem, suffire* supra penultimam retinerem. (10) Quippe et in his norma quartae coniugationis, quam *fio* cum compositis sequi debet, est tenendam, *Doctrinale* quidem in X^o profitetur (10, 1.675):

«-I- tibi producunt quartae crescentia prima».

De hac tertia regula plenius quam oportebat forte dixi, praeterea quod nihil in antedictis protulisse.

VI. De productione et corruptione penultima genitiuorum horum VIII nominum et de uocatiui carentia.

[1] 4^a regula est quod haec VIII nomina secundam pronominum declinationem sequentia genitiui naturaliter producunt penultimam, quam poetica corripunt auctoritate. *Alter alterius* excipitur, cuius penultima semper corripitur, ut in tempore perderet, quod in syllabis superaret. (2) *Alius* uero in genitiuo semper producitur, qui tamen in frequenti non inuenitur usu, ut at per productionem solam tempus suppleret, quod in syllabis deficeret. Datius autem fuit *alii* cum *-i-* duplici, ne si cum unico existiisset, *ali* infinitiuius de *alo* crederetur esse. (3) Prima, 2^a et haec 4^a regulae confirmantur ab his quae a Prisciano in VI, VI, XI et XIII, et per *Doctrinale* in primo et X^o, et per scribentes in eisdem libris et

¹ Glossa: *Ecyra* cum *-e-* exili et *-y-* graeco scribitur. Dicitur a nostris *socrus*, sed eo uocabulo utitur Terentius (*Hec. 1*), cum ait «*Ecyra* est huic nomen fabulae», secundum Ioannem Tortellum Aretinum.

capitulis, et ab Aegido in libro I *De accentu*, capitulo XXVII^o, exarantur. De his supra, libro II, § *Hanc secundam pronominum declinationem*, usque ad § *De uocatiuorum*.

[2] 5^a regula. Quod omnia illa octo nomina uocatiuis carent, ut et omnia nomina uel interrogatiua uel infinita uel abnegatiua uel distributiua uel partitiua uel relatiua; illa uero octo uel abnegatiua sunt, ut *unus, ullus, nullus, alius, solus*, uel distributiua sunt, ut *uter* et *totus* et *aliter*; uel relatiua, ut *uter* et *alter* et eorum composita, ut *uterque* et *alteruter neuterque*, quae et partitiua dici possunt; et *neuter negatiuum*. (2) Haec autem omnia demonstratione carent, quae uocatiui est propria, ideo uocatiuos habere non possunt. Pronomina quoque, quattuor exceptis: *tu, meus, noster* et *nostras* a uocatiuis abhorrent, ut Priscianus in octauo principio et in XIII^o, post principium, testis est. *Suus* autem, licet abominetur uocatiuum uitandae redundantiae et conseruandae reciprocaionis causa, tamen si harum neutra obstiterit, uocatiuum potest admittere, ut *Benedicite domino, o angeli sui, et occurrite, defenditque Caesarem, o amici sui, o milites sui, o ciues sui*, ut de hoc plenius in epistula magna, sub XI^a ratione, uersiculo *Quod si usus*, scribitur. (3) Enimuero secundum Petrum Heliae in XIII^o (Reilly 706): «*Ambo, uter et alteruter, cum sint relatiua in respectu dicta, eo, quod ut congrue proferantur, periacere sit id necesse, ad quod ipsa dicantur, puta Sortes et Plato ad me uenerunt, et ambo recesserunt, uel ambo isti haec uel illa faciunt, adeo ut isti periacent et ambo cognitionem faciat, quod et de uter alteruterque sit dicendum, licet non ut is et idem relatiua sint, sed respectu habeant, id est in respectu dictam demonstrationem non habent. (4) Iccirco nec uocatiuos habere possunt. Sed ambo duoque differunt quippe ambo dicitur in respectu, non autem duo; et ambo congregat, sed duo dinumerat. Vllus quoque et nullus, tanquam abnegationem significantia, uocatiuis carent*».

VII. De omnis proprie distributiuo collectiuoque simul, sed improprie collectiuo tantum.

[1] 6^a regula. Quod *omnis* proprie sumptum secundum *Doctrinale* in 2^o (2, 432), distributiue collectiueque tenetur, ut *omnis homo currit*, sed improprie colligit sine distributione ulla, ut *omnes apostoli Christi sunt XII*, et *omnis homo nauem trahit*, et *omnis mulier timet in partu*. Et primo quidem modo uocatiuo caret, secundo autem habere potest. (2) Distributiue uero teneri dicitur, et etiam collectiue, quando de pluribus simul collectis sermo sit, ita quod de unoquoque eorum per se, ut *omnis homo currit*, ita quod non distributiue teneri potest, quin prius collectiue teneatur, et tunc propriam uim et naturam habens, ut reliqua distributiua nomina, uocatiui expers est. Collectiue autem sine distributione accipitur, quando de pluribus simul collectis, sed non de unoquoque dicitur, ut *omnes apostoli dei sunt XII*, id quod in nomine collectiuo, ut *gens* et *populus*, uideri potest. (3) Et tunc *omnis* tenetur improprie, quippecum contra naturam suam inuentionemque primaeuam, quae est, ut potissimum distribuat, et ut terminus communis de pluribus praedicari aptus efficiat per se, id est per ipsum *omnis*, quod signum uniuersale est, de unoquoque particulari praedicatum dici, ut *omnis homo est animal*, significat enim quod Sortes et Plato et omnes alii particulares homines sint animalia. Ita quod hoc praedicatum *animal* de unoquoque particulari homine dici possit. (4) Haec enim oratio *omnis homo est animal*, uniuersalis est propositio, quae est ea in qua terminus communis signo uniuersali determinatus subiicitur. Vel quae omni aut nulli inesse significat. Terminus communis est qui est aptus natus de pluribus praedicari, ut *homo* de Sorte, de Platone et aliis hominibus, *equus* de isto equo et de illo, et sic de aliis. Signa uniuersalia sunt haec: *omnis, nullus, quilibet, neuter* et similia. (5) Propositio particularis est illa in qua subiicitur terminus communis signo aliquo particulari determinatus, ut *aliquis homo currit*. Vel propositio particularis est illa quae alicui uel non alicui particularium inesse significat. Signa particularia sunt haec: *quidam, aliquis, alter* et *reliquus*. Indefinita est illa in qua subiicitur terminus communis sine aliquo signo, ut *homo currit*. (6) Singularis est illa in qua subiicitur terminus singularis uel terminus communis cum pronomine demonstratiuo, ut *Sortes currit*, uel *iste homo currit*. Terminus singularis est qui est aptus natus de uno solo praedicari, ut haec apud Petrum Hispanum in suis *De logica* tractatibus (Rijk 5), post principium breuiter scribuntur. (7) Plenius apud Aristotelem primo *Perihermenias*,² qui inter alia, capitulo III^o, § *Quoniam* (17a35, Minio-Palluelo 27), scite sic inquit: «Quoniam haec quidem rerum sunt uniuersalia, illa uero singularia. Dico

² *Glossa: Perihermenias* secunda et penultima cum *-i* latino, tertia cum aspiratione scribitur, quanquam sit apud Graecos dictiones duae et non una composita, et inscriptio subtilissimi cuiusdam libri *Aristotelis* in dialectica facultate, quae latine *De interpretatione* dicitur. Tortellus.

autem uniuersale, quod in pluribus aptum natum est praedicari. Singulare uero, quod non, ut *homo* quidem uniuersale est, *Plato* autem eorum quae sunt singularia». (8) Et infra: «Dico autem non uniuersaliter enunciare in his qua sunt uniuersalia, ut est *homo albus, non est homo animal*. Sed ut enim uniuersale sit *homo*, uniuersaliter utitur enunciatione. *Omnis* enim uniuersale non est, sed quoniam uniuersaliter consignificat. In eo enim quod uniuersale praedicatur, id quod est uniuersale, praedicari uniuersaliter non est uerum. Nulla enim affirmatio erit in qua de uniuersali praedicato uniuersaliter praedicetur, ut *omnis homo est omne animal*».

[2] 7^a regula Quod in his locutionibus *o uos, omnes qui transitis per uiam, uenite*, et *o, quicumque cupis!* et *o tu aliquis, uenias!*, nomina distributiua uocatiuos non habent, sed per suppletionem huius pronominis *tu*, in nominatio singulari uel plurali, nominatiuum nominis singularis pluralisue, numerique tertiaeque personae uocatiui praecedentis, auxilio ad personam secundam euocare dicas. (2) Itaque construendo exponas: *o uos audite*, -suppletum *uos omnes-*, *qui transitis per uiam, uenite* uel *o uos qui transitis per uiam, uenite omnes*, et *o tu* -suppletum *audi-*, *tu* -suppletione nominatiui casus-, *quicumque cupis*, et *o tu* -*audi* suppletum, *aliquis* -*tu* suppletum- *uenias*. (3) Sicut *terni apud me prandete*, *terni* enim nominatiui casus est, et de consimilibus erit eadem ratio, quia *o tu aliquis, lege!*, *aliquis* non cum *o tu*, sed cum *lege*, cum suppletione *tu* in nominatio, debet intelligi. Verum in his constructionibus distributiua secundae personae non sunt, nec eam significant, cum per distributionem incertam designent personam, sed ad secundam deuocantur, siquidem cum ea intransitiue construuntur. (4) Vel forte dici potest distributiua ipsa secundam significare personam, quippe cum unus de multis per directionem sermonis sit, quocumque omnes concipiuntur alii. Huius autem regulae septimae Petrus Heliae in primi minoris fine, testis est apertus. (5) V^a uero, 6^a 7^aque regulae per Priscianum in VIII et 13^o, et Petrum Heliae, super utroque libro superque minoris primo, in fine, et *Doctrinale* in 2^o capitulo, glosantesque ibidem confirmantur. Et de his plene supra, libro 2^o, § *De uocatiuorum* usque ad § *Quoniam autem quis uel qui*, fuit expositum (cf. supra 2, 5; Prisc. 8, 3; 13, 34; Helias ibid.). (6) *Vniuersus* autem de *unus uersusque* compositum est, *omnis* in unum seu unitatem uersus; et ab *uniuersus, uniuersi*, addita *-tas*, fit *uniuersitas*, et *uniuersale*, quod aptum natum est in pluribus esse, praedicabile uero per dici diffinit et utrunque per genus, speciem, differentiam, proprium accidensque diuiditur. (7) Et de his plene per Porfirium Petrumque Hispanum in suis habetis *Praedicabilibus* (cf. Arist. *Categ.* 4, 1, Minio-Palluelo 8). Et mea quidem sententia, sicut proprie *omnis* distribuit et colligit, sed improprie colligit sine distributione illa, sic *uniuersus* singulos de uniuersitate in unum coniungit, improprieque sine tali collectione distribuit. Ideo plerumque de ciuibus seu aliis uniuersitatem siue collegium facientibus unitatemque habere debentibus dicitur. (8) Tullius *Ad Herennium*, libro IIII (4, 12), in grauis figurae exemplo, sic eleganter ait: «Huius sceleris qui sunt affines, uno consilio uniuersis ciuibus atrocissimas calamitates machinantur». Et ab *uniuersus, uniuersim* aduerbium, unde A. Gellius ait (1, 3, 21): «Theophrastus in docendo in 5^o *De anima*, non de unuquoque falso sigillatim dici aestimat, neque ceteris exemplorum documentis, sed generibus rerum sumatim uniuersimque utitur».

VIII. De unoquoque horum octo nominum secundam pronominum declinationem sequentium: de unus.

[1] De unoquoque horum octo nominum secundam pronominum declinationem sequentium proponens scribere, ut res plenius exponatur, ad octauam regulam transgrediens dissero. Quod *unus, -a, -um* ab *ena* graece uenit, quod dicitur latine *unum*, et inde *unicus, -a, -um*, id est singularis et solus. Sed *unus* ex multis dicitur, *unicus* autem solus est. Deinde numeratur *unus, unicus* uero finitur intra numerum. (2) Et ideo quotiens in uno titulo una sola lex uel capitulum reperitur, non *una lege unoue capitulo*, sed *unica lege* uel *unico capitulo* quid haberi allegari debet. Item *unus* spectat ad numerum, *solus* autem de multis intelligitur. Posthac ab *unus uni* addita *-tas, unitas, -tatis* fit. (3) Sciendum autem *unum* non esse numerum, sed numeri esse principium. Est enim numerus ex unitatibus aggregata multitudo, ut Petro Hispano in *Praedicamentis*, capitulo *Quantitatis*, placet. Vbi etiam post Aristotelem (*Categ.* 4b20) dicitur quid dicit ad uerbum: «Quantitatis aliud continuum, aliud discretum. Et aliud quidem ex habentibus positionem ad se inuicem partibus suis constat, aliud autem ex non habentibus. Est autem discreta quantitas, ut numerus et oratio. (4) Continua uero, ut linea, superficies, corpus. Amplius autem praeter haec locus et tempus, partium et enim numeri nullus est communis terminus ad quem copulentur particulae eius, ut quinque et quinque ad decem particulae, ad nullum comunem terminum copulantur, sed semper discreta sunt. Sed et tria et septem ad nullum communem terminum copulantur, sed semper discreta sunt et separata.

Quapropter numerus discretorum est». (5) Et infra: «In numero autem non poterit quisquam percipere tanquam particulae eius positionem ad se inuicem habeant, ut sint situm alicubi, aut aliquae particulae ad se inuicem connectantur. Sed neque ea quae temporis sunt. Nihil enim permanent particulae temporis. Quod autem non est permanens, quomodo positionem aliquam habebit? (6) Sed magis ordinem quendam particularum dices habere. Iccirco quod temporis est, hoc quidem prius, illud uero posterius. Sed et de numero similiter, eo quod per prius numeratur *unus*, quam *duo*, et *duo* quam *tres*, et ita ordinem quendam habebunt, positione uero non multum percipies, sed et oratio similiter, nihil enim permanent particulae eius». (7) Haec igitur non modo per Aristotelem sed et per Petrum Hispanum in eorum *Praedicamentis*, in capitulo de quantitate, cetera uero per *Catholicon* quoad deriuationem significata differentiasque inter *unus* et *unicus* ex una parte, et *unus* et *solus* ex altera, et quo ad *unitas* denominatum ab hoc nomine *unus* confirmantur.

[2] 9^a. Quod apud elegantissimos auctores *unus* significat *praecipuus*. Virgilius in V^o (*Aen.* 5, 704-706):

«Tum senior, Nautes, unum Tritonia Pallas,
Quem docuit, multaque insignem reddidit arte
Haec responsa dabat».

Et ibi Seruius hoc confirmat. (2) Et sic *unus* quandoque pro *praecipuo* et *unico*, id est singulari soloque accipitur, sed improprie, ut ipsa 8^a regula proxime dicta patet. Et hoc in diuinis uidetur apertius, in quibus est substantiae unitas et personarum trinitas, nullaue diuersitas, ut nec singularitas nec solitudo, et deus unus non singularis est, non solitarius, non unicus, non diuersus, ne singularitas uel solitudo uel unicus consideratio personarum pluralitatem excludat, neue diuersitas essentiae unitatem tollat. (3) Augustinus enim, in libro VII *De trinitate* (7, 4) dicit: «Humana inopia quaerens quid diceret tria, dixi tres personas uel subsistentias, quibus nominibus, non diuersitatem intelligi uoluit, sed singularitatem noluit, ut non solum ibi unitas instigatur, ex eo quod dicitur una essentia, sed trinitas, ex eo quod dicuntur tres personae». (4) Idem Augustinus in libro *Quaestionum ueteris et nouae legis* (*Trin.* 4, 122) ait: «Vnus est deus, sed non singularis». Item Ambrosius in libro *De trinitate* (*De fide* 5, 2) dicit: «Quod unius est substantiae, separari non potest, etsi non sit singularitatis sed unitatis, deus unus cum dicitur, nequaquam diuinitatis trinitatem excludit, et ideo non quod singularitatis, sed quod unitatis est, praedicatur». (5) Hylarius quoque in libro VII *De trinitate* (7, 39) disseruit: «Dominus dicit: 'Qui me uidet, uidet et patrem' (*Iohan.* 4), cum hoc dicitur, excluditur singularis atque unicus intelligentiam, nam nec solitarium sermo significat, et indifferentem tamen naturam professio docet. Visus est enim in filio pater per naturae unitam similitudinem. Vnum enim sunt natus et generans, unum sunt neque unus. Non itaque solitarius filius est, nec singularis nec dispar». (6) Idem in eodem: «Sic in patre et filio credere duos deos impium est. Ita patrem et filium singularem deum praedicare sacrilegium est. Nihil in his nouum, nihil diuersum, nihil alienum, nihil separabile est». Insuper, ex his Hylarii uerbis colligitur, quod de patre et filio et de his et spiritu sancto *unum* in neutro genere, sed non *unus* in masculino dici potest. (7) Et haec plenius per Sententiarum Magistrum, libro I, distinctione XXIII, capitulo *Iam sufficienter puta*, uersiculo *Concludit* (Petr. Lomb. *Sent.* 1, 23, 9): «Nec singularis, nec diuersus, nec unicus uel solitarius confitendus est deus, quia singularitas uel solitudo personarum pluralitatem excludit, et diuersitas unitatem essentiae tollit. Diuersitas inducit separationem diuinitatis, singularitas adimit distinctionem trinitatis».

[3] 10^a (cf. supra 2, 49, 1). *Vnus* et *solus* licet adiectiua non superlatiua sint, tamen superlationem more genitiuum regunt, ut Plinius (=Macrob. *Sat.* 3, 16, 7): «Accipenser³ unus omnium scamis ad os uersis, contra aquas natando meat», Quintilianus (*Decl.* 2, 1): «Solus omnium non remittit sibi, ut incredibilior sit in parricidio caecus, quam fuit, cum uideret». (2) Haec duo similiter et ablatiuum cum praepositione *ex* uel accusatiuum cum praepositione *inter* superlatiuorum instar subiiciunt, ut enim dicitur *ex omnibus maximus*, et *inter omnes maximus*, ita *unus et solus ex omnibus* et *inter omnes*. Sed et *unus* pro *solus* accipitur. (3) Iccirco fere cum illi adiectiuo *omnis* duntaxat coniungitur. *Vnus* enim *ex fortibus*, *unus ex populo* alterius significationis est. Sed et substantiuus adiicitur. Idem Plinius (11, 131): «Caluicium uni

³ *Glossa*: Accipenser piscis est in primis nobilis difficillimusque inuentu, ut perraro capiatur, et ideo Plinius Secundus in libro *De naturali historia* (9, 60) miratur quod suis temporibus in nullo honore esset, cum ita uix inueniri possit. Sed quod ait Plinius de accipenseris scamis, id uerum esse maximus rerum naturalium indagator, Hegidius Figulus ostendit in eius libro *De animalibus*. Ita positum est: «Cum alii pisces scama secunda accipenser aduersa sit». Ex Macrobio *De Saturnalibus* (3, 16, 7) excerpti.

tantum animalium homini», subintelligitur tamen *omnium*. Sic Laurentius Vallensis *De elegantis* libro III^o, capitulo LXXI, tenet, et ego post eum in meo *Elegantiarum breuiario*, eodem libro et capitulo, et plenius supra, libro 2^o, § *Posthac in eodem libro*, dixi (cf. supra 2, 49, 1; Valla, *Eleg.* 3, 67).

[4] *Vnus*, secundum regulam XI, licet unitatem significet, et ita numerum pluralem habere non deberet, tamen si nominibus tantummodo in numero plurali declinatis, quae quandoque unum ut plura, quandoque plura ut plura significant, adiungatur, ut eorum unitatem notet, numerum pluralem potest recipere. (2) Et contra *Catholicon* opinionem, etiam per omne genus, ut *uni pugillares*, *uni orti*, et secundum Liuium, libro XXV (25, 7, 5): «Et triumviri bini, id est uni sacris conquirendis, domisque alteri reficiendis aedibus Fortunae». *Vnae litterae*, *unae aedes*, *unae nuptiae*, et *una arma*, *una moenia*. (3) Vnde Iulianus in *l. Eum qui ita*, ff. *De uer. ob., in prin.* (D. 45, 1, 56), sic eleganter ait: «Eum qui ita stipulatur, mihi et Ticio X dare spondes? uerosimilius est, semper una X communiter sibi et Ticio stipulari, sicuti qui legat Ticio et Sempronio, non aliud intelligitur, quam una X communiter duobus legare». (4) Et quod significatur unitas animorum, ut *hae mulieres unae sunt*, id est, unanimes, et *corda nostra sunt una*, id est una anima. Vnde Lucanus (548-49):

«Fecere nephas in partibus unis»,

id est unius animi et uoluntatis. Et horum nominum dualitas numerique sequentes, per nomina partitua significantur numeralia, ut *bini*, *terni*, *quaterni*, et cetera, ut *bini pugillares*, *binae litterae*, *bina arma*. (5) Et de his diuersisque nominibus in plurali tantummodo declinatis, et de nominibus numeralibus constructioneque eorum, supra, libro 3^o, uersiculo *Cum autem Salustius*, carta 174, per XVIII cartas usque ad uersiculum *Postquam textum Salustii*, carta 191, Ciceronis, Salustii, T. Liuii aliorumque auctorum more, cum *Catholicon* Laurentiique Vallensis adiumento, scripsi plenissime (cf. supra 3, 10-11).

[5] XII^a regula Quod *unus* cum multis aliis a parte ante et a parte post componi reperitur, ut *unicolor*,⁴ *uniformis*, *unanimes* *uniuersus*, *uniuersale*, *uniuocus*, *uigintiunus*, *uigintiduo*, *uigintitria*, *trigintaunus*, *trigintaduo*, *trigintatria* et similia.

[6] 13^a. Secundum *Catholicon* in 3^a parte sui operis, capitulo de numero, § finali (3, 47), et in 5^a parte, in *uiginti*, si *unus* cum *uiginti*, *triginta*, *quadraginta* et deinceps componatur, ita quod *uigintiunus*, *-a*, *-um*, diceretur, substantiuum sequens *homo* scilicet uel *equus*, potius finem quam principium sequi debet, ut *uigintiunus homo*, non *uigintiunus homines* sit dicendum. (2) Finis enim uincit principium, Prisciano teste (18, 210), qui tenet huiusmodi ex pronomine nomineque compositum propter finem nomen esse putandum. Similiter in libro constructionum ait quod maxime partes orationis obtinet terminatio. (3) Et in *Arithmetica* Boetius (2, 43, 12) hanc latinitate prodit: «Si septies tres addantur, in uigintiunum numerum cadunt». Hic *numerum*, non *numeros* protulit. Dicit ergo (*Catholicon* 3, 47): «Hoc nomen *homo* suae comitatis gratia ad collectionem trahi, et hoc ex iniuncto habet. Itaque *uigintiunus homo*, non *unus homo*, sed *homines* plures sunt, non tamen *homo* est *homines*. (4) Enimuero hoc nomen *uigintiunus* et in numero plurali declinari potest, sicut et *unus*, ut *uiginti pugillares*, *uigintiunae scalae*, *uigintiuna moenia*. quidam tamen scribunt quod si substantiuum praecesserit, hoc in plurali poni debet, ut *florenos uigintiunum habeo*,

⁴ *Glossa*: *Vnicolor*, *-oris*, unus coloris, unde *unicoloratus*, *-a*, *-um*. *Vnicordia*, *-ae*, est concordiae. *Vnicor*, *-cordis*, unius et eiusdem cordis. *Vnicornis* est bestia sic dicta quia unum cornu in media fronte habeat, haec et *rinoceros* dicitur. *Vnicors*, *-dis*, quasi unius cordis, scilicet concors. *Vnicuba*, *-ae*, unius uiri uxor. *Vnifico*, *-as*, unum facere, unde *unificus*, *-a*, *-um*. *Vniformis*, *-e*, unus et eiusdem formae, unde *uniformiter* aduerbium et *haec uniformitas*. *Vnigamia*, *-ae*, unae nuptiae. *Vnigamus*, *-a*, *-um*, qui tantum uni nupsit, scilicet qui uel quae tantum habuit unam uxorem uel unum maritum. *Vnigenitus*, *-a*, *-um*, priusquam nullus est primogenitus; *unigenitus*, post quem nullus fuit genitus, et ita Christus fuit unigenitus et primogenitus, tam secundum patrem quam secundum matrem. *Vnimamma*, *-ae*, sunt quaedam feminae, quae Amazones dicuntur, unam tantum mammam habentes. *Vnimodus*, *-a*, *-um*, unius et eiusdem modi. *Vniuga*, *-ae*, unius uiri uxor. *Vniuocus*, *-a*, *-um*, quod tantum unum una uoce significat. Ex *Catholicon* et *Compraensorium*, Ioannes Raimundus Ferrarii. Et *uniuersale* potest esse, *praedicabile* uero per *dici* praedicatur, ut uniuersale est quod aptum natum esse in pluribus, praedicabile uero est quod aptum natum est de pluribus dici. Et hoc in genus, speciem, differentiam, proprium et acciden diuiditur, et de hoc per Petrum Hispanum, Porfiriumque in suis *Praedicabilibus*, et *Catholicon* in *Vniuersale* habetur. *Vniuoca* uero sunt quo nomen est commune, et secundum illud nomen ratio substantiae est eadem, ut hoc nomen animal homini bouique sit commune, et similiter eius diffinitio, ut Aristoteles Petrusque Hispanus in suis *Praedicamentis* dicunt, et *Catholicon* in *Vniuocus*. Ioannes Raimundus Ferrarii.

sin autem postponatur, singulariter sit dicendum: *habeo uigintiunum denarium*. Et certe haec sententia non paruae est elegantiae, quippe cum numeri prioris impressionem respiciat». (5) Ego tamen apud iureconsultos nostros substantiuo uel postposito numerum pluralem apponi reperio, ut *stipulator uigintiunum denarios, trigintaunum praedia possideo*, ut in diuersis *Digestorum* locis inuenio.

[7] 14^a. Si *unus* uel *uiginti* uel *triginta* uel *quadraginta*, et ita deinceps, praeponatur, copula imponenda est, substantiuumque praepositum uel postpositum in plurali numero poni debet, ut *homines unus et uiginti*, uel *unus et uiginti homines, iuri dant operam, equi unus et triginta*, uel *quadraginta*, uel deinceps, *currunt*, aut *unus et triginta*, uel *quadraginta, equi uolant*, ut et *homines singuli et uiceni*, uel *uiceni singuli homines, theologiam student*.

[8] 15^a. Vnde pro uno dempto, ut *duode* pro duobus demptis, nominibus numeralibus *uiginti, triginta, quadraginta* et sequentibus *centum*que potest aggregari, ut *undeuiginti, undetriginta, undequadraginta, undecentum uiri legunt*, id est uno dempto, *uiginti, triginta, quadraginta, centum uiri legunt*. (2) Item *duodeuiginti, duodecentum*, id est duobus demptis de *uiginti* et *centum*. Id quod et in de nominatiuis est dicendum, ut *ab orbe condito dominus noster Iesus Christus anno quinquies millesimo undecentesimo natus est*, hoc est per quinque milia ducentos annos, uno dempto. (3) Et haec duae regulae ultimae per Laurentium Vallensem, libro III, capitulo XVI, confirmantur, de quo supra, libro III^o, uersiculo *Nec praetermittendum est*, carta 186, plene dixi †† (cf. supra 3, 11, 4; Valla *Eleg* 3, 14).

[9] 16^a. *Vnus* secundum recentiores auctores *unius*, penultima producta, in genitiuo facit, licet poetica licentia breuiari possit, quippe communis sit, et *uni* in datiuo. Secundum autem antiquiores declinabatur mobiliter, et *unus, -a, -um*, genitiuo *uni, -ae, uni*, datiuo *uno, unae, uno*, quod et de reliquis septem secundam pronominum declinationem sequentibus dici debet. (2) *Alter* et *alius* quoad penultima quantitate duntaxat excipimus. *Alter* enim semper in genitiui penultima corripitur, *alius* autem producitur. *Neuter* tamen quoad genitiui datiuoque mobilitatem demitur solummodo, usus enim genitiui in *-i, -ae, -i*, et datiuo in *-o, -ae, -o* sit et apud recentiores frequentior. (3) Haec per Priscianum VI^o, VII^o, IX^o et XIII, et per *Doctrinale* in primo et X^o, et per *Catholicon* in *unus*, comprobantur. Et supra, libro 2^o, § *Hanc secundam pronominum declinationem*, usque ad uersiculum *De uocatiuorum*, de his dixi plenissime (cf. supra 2, 3-4).

[10] 17^a. Ab *unus, unio, unionis* masculini generis deriuatur. Lapis preciosus est, sic dictus, quod tantum *unus* et nunquam duo uel tres inueniatur, simul legitur quoque pro *stella*. Item haec *unio*, ab *unio, -is* uerbo, pro coniunctione congregationeque accipitur. Papias ait: «*Vniones* quaedam margaritae sunt». Haec *Catholicon* in *unus* scribit, et in *unio* sic inquit: «*Hic unio, -onis* inuenitur pro lapide et stella». (2) Laurentius autem Vallensis, libro VI^o, capitulo LXIII^o et finali, me sequentem eum in meo *Elegantiarum breuiario*, eodem libro et capitulo, sic eleganter ait: «*Margarita uero siue margaritum, quis negare lapillum posse, quae semper est pusillus lapis? Ego quidem candidos illos lapillos ex Indi regis auribus pendentes, margaritas interpretor. Margarita autem sicut lapillis, forsitan nego, ita gemmis fateor non contini*. (3) Est margarita quae in concha nascitur, et *conchylium* dicitur, quam uulgo *perlam* appellant. Haec etiam uocatur *unio*, ut idem Plinius ait (9, 112): "Quia nunquam nisi indistincta reperiatur". Estque generis masculini, nam feminini illud quo nunc quidam pro unanimitate utuntur, nec auctoritate nitetur -nescio enim apud quem reperiatur-, nec arte, cum deberet esse masculini potius generis, ut *talio*,⁵ *stellio*,

⁵ *Glossa: Talio* secundum *Catholicon*: «*Venit a talis, quod est simile, et est generis masculini, eiusdem rei compensatio, uindicta, similis delectatio, ut dens pro dente, oculus pro oculo eruatur, et ita proprie est iniuriae, unde lex talionis, licet quandoque dicatur beneficii. Vnde in Papias dicitur: "Talio est cum quisque patitur id quod fecit iniuriae uel beneficii". Et secundum hoc distinguitur duplex lex talionis: uno quidem in bono, quod dictat lex naturalis, de hoc dicitur Mathei VII (= Ov. *Met.* 7, 12): "Omnia quaecunque uultis, ut faciant uobis homines et uos facite illis". Et haec lex talionis bona est. Altera lex talionis est in malo, quam dictat lex Moysi *Exodi* XXI (21, 24), et *Deuteronomii*, XIX capitulo (19, 21): "Oculum pro oculo, dentem pro dente, super reddet". Et haec dictat lex talionis, scilicet quia taliter recipiebat, qualiter faciebat, et haec lex in praecepto erat iudicii maxime si exigebatur, sed iniuriam patienti est permissa, quia mittebatur ei quod hanc uindictam peteret. Si tamen ex libidine uindictae hoc faciebat, mortaliter peccabat, quia *Leuitici* XIX (19, 18): "Non gratias ultionem nec memor eris iniuriae ciuium tuorum"». Haec *Catholicon*. Verum *talio* secundum *Doctrinale* generis feminini est, potius*

curculio». (4) Ioannes uero Aretinus in uerbo *concha* sic ait: «Aspirato scribitur, cum *-c-* exili prima, et altera cum *-ch-* aspirato scribitur. Genus est piscis ex crancorum genere carentis oculis, ut dixit Plinius, libro IX *Naturalis Historiae*, quae, teste Solino, potissimae sunt in Indico mari, in quibus, ut ait, reperitur margarita, genus lapidis preciosi. Qui uero latinam dictionem dicunt, sine aspiratione scribunt, quasi *concauam* memorantes».

[11] 18^a. *Vniusmoris* ex duobus obliquis componitur et generis omnis est et indeclinabile, concorsque significat, ut *hi homines uniusmoris sunt*, id est unanimes et concordēs. Vnde in *Psalmo*: «Qui habitare facit uniusmoris in domo». *Vna* uero aduerbialiter ponitur, et tunc in fine acuitur, ut *unā*, id est pariter uel insimul, et *unā comitatum* significat, ut *unā proficiscimur*. Pariter uero aequalitatem, ut *uiam pariter cum illo ducis*. Et haec regula in *unus* per *Catholicon* confirmatur. (2) Cicero tamen, sed hoc raro, pro *simul* dixit *unā*, qui *simul* geminare non solet, sed posteriores, ut Virgilius, Quintilianusque:

«Accelerat simul Aeneas, simul agmina Troum»,

simul non geminatum, *pariter* apud Quintilianum saepe, ut *raro fortis homo simul et sapiens*, uel *homo fortis pariter sapiens inuenitur*, sed cum *et* geminato raro, Oracius:

«Aut simul et iocunda et idonea dicere uitae».

De hoc Laurentius Vallensis, libro 2^o, capitulo 32, et ego ibidem in *Breuiario*.

[12] 19^a. *Vnum* secundum Aristotelem est indiuisum in se et diuisum ab aliis.

[13] 20^a. Quod *unum* secundum eundem Aristotelem in substantia facit idem. *Vnum* in quantitate aequale, *unum* in qualitate simile. Et de harum trium postremarum regularum confirmatione, *Catholicon* in *unus* quaere.

[14] 21. *Vnum* secundum physicos metaphysicosque multifaria dicitur. Aristoteles enim in V^o *Metaphysicae*, capitulo VI^o (1015b), scite sic inquit: «*Vnum* dicitur secundum accidens, aliud secundum se. Secundum accidens quidem ut choriscus et musicum et choriscus musicus. Idem enim est dicere choriscus⁶ et musicus, et choriscus musicus, et musicum et iustum, et musicus iustus. (2) Choriscus omnia enim haec unum dicuntur secundum accidens. Iustum quidem et musicum, quia uni substantiae acciderunt. Musicum uero et choriscus, quia alterum alteri accidit. Similiter autem et modo quodam musicus choriscus cum chorisco unum, quia altera partium alteri accidit earum, quae sunt in oratione, ut musicum choriscum, et musicus choriscus, iusto chorisco, quia utriusque pars eidem uni accidit unum. Nihil enim differt quam chorisco musicum accidere. (3) Similiter autem siue in genere siue utilis alicuius nominibus dicatur accidens, ut quia homo idem et musicus homo, aut enim quia homo uni existenti substantiae accidit musicum, aut quia ambo singularium alicui accidunt, ut chorisco. Tamen non eodem modo ambo insunt. Sed hoc quidem forsitan ut genus et in substantia, illud uero ut habitus aut passio substantiae. (4) Ergo quaecunque secundum accidens dicuntur, unum haec modo dicuntur. Secundum se uero unum dictorum alia dicuntur, eo quod continua sint, ut onus uinculo, et ligna cum uisco, et linea flexa sunt. Continua autem una dicuntur, sicut et partium singulae tibia et brachium. Ipsorum autem horum magis unum natura continua, quam arte. Continuum uero dicitur cuius motus unus secundum se, et non possibile aliter. (5) *Vnus* autem cuius indiuisibile autem secundum tempus. Secundum se autem continua non tactu sunt unum. Nam si ponis se tangentia ligna, si dices unum esse, nec lignum nec corpus nec aliud continuum nullum». Et in hoc capitulo reperies multis modis aliis *unum* dici, quos tum difficultate delectationi legentis contraria, tum breuitate prosequenda praetereo. (6) Verum illos non possum omittere et utilitate et delectatione quadam, secundum quos ibi praeclare sic inquit: «Amplius autem alio modo dicitur eo quod substantiam sit specie indifferens. Indifferens uero indiuisibile specie secundum sensum, substantiam autem aut primum aut ultimum aut finem. Vinum autem unum dicitur et aqua una, in quantum indiuisibile secundum speciem. (7) Et liquores omnes unum dicuntur, ut oleum, uinum et fluida, quia omnium ultimum subiectum idem. Nam aqua aut aer

tamen *Catholicon* et Laurentio fidem adhiberem, cum etiam Priscianus in 5^o sentiat generis masculini esse, unde scribat *Stellio* et *Curculio* generis esse masculini. Ioannes Raimundus Ferrarii.

⁶ *Glossa*: *Choriscus*, quod uerbum nullibi inter omnes uocabulistas potui reperire, a *chorea*, quae ludicra cantilena est, uel saltatio, debet descendere, licet in Aristotelis textu (*Met.* 1006b15) sine aspiratione scribatur. Enimuero secundum eundem textum de musicum loquentem, de *chorea* deriuari debet, et ita choriscus est, qui cantilenas ludicras uel in saltatione canit, ut et de chorista, quod in *Catholicon* et *Compraensorium* repperi, dici potest, qui ab his etiam canens in choro uel cum coro exponitur. Ioannes Raimundus Ferrarii.

haec omnia sunt. Dicuntur autem unum, et quorum genus unum differens oppositis differentiis. Et haec dicuntur omnia unum, quia genus unum, quod subiicitur differentiis, ut equus, homo, canis unum quid, quia omnia animalia. Et modo itaque simili materia una. (8) Haec autem quandoque quidem ita unum dicuntur, quandoque uero genere superiore, quod idem dicitur, si sunt ultimae species generis superioris his, ut ysocheles et ysoplectus sunt una et eadem figura, quia ambo trianguli, sed trianguli non idem. Amplius unum dicuntur quorumcunque ratio, quae quod quid erat esse dicit, indiuisibilis est ad alia in significantem, quod erat esse, rem ipsa enim secundum se omnis ratio diuisibilis. Sic enim augmentatum et minutum unum sunt, quia ratio una. Sicut in superficiebus quae specie una. (9) Omnino uero quorum intelligentia indiuisibilis intelligens, quid erat esse, et non potes separari neque tempore neque loco neque ratione, maxime hoc unum et horum quaecunque substantia. (10) Vniuersaliter enim quaecunque non habent diuisionem, in quantum non habent, sic unum dicuntur, ut si in quantum homo. Si uero in quantum animal, unum animal, etsi in quantum magnitudo. Plurima quidem igitur unum dicuntur per alterum aliquid facere aut pati aut habere aut ad aliquid esse unum. (11) Quod autem primum dicuntur unum quorum substantia una. Vna uero aut continuatione aut specie aut ratione. Etenim innumeramus ut plura aut quae non continua, aut quorum non species una, aut quorum ratio non una». (12) Et infra, paulo post subiicit: «Vbique uero unum aut quantitate aut specie indiuisibile, secundum quantum quidem igitur et in quantum indiuisibile est. Quod quidem igitur omnino et sine positione dicitur unitas. Quod autem omnino et positionem habere, punctum. Quod autem secundum unum, linea. Quod uero secundum duo, superficies. Omnino uero et tripliciter diuisibile secundum quantitatem, corpus. (13) Facta autem conuersione, dualiter quidem diuisibile superficies, unice autem linea, nullatenus diuisibile secundum quantitatem punctus et unitas. Hoc quidem non habens positionem unitas, illud uero habens positionem punctus. Amplius autem alia secundum numerum sunt unum, alia secundum speciem, alia secundum genus, alia secundum analogiam. (14) Numero quidem, quorum materia una specie, quorum ratio est una, genere quorum figura praedicationis, secundum proportionem, quaecunque se habent ut aliud ad aliud. Semper itaque posteriora praecedentia sequuntur, ut quaecunque numero, specie unum, sed quaecunque specie, non omnia numero, sed genere omnia unum, quacunque specie. (15) Quaecunque uero genere, non omnia specie, sed proportione. Et quaecunque unum proportione, non omnia genere. Palam autem et quod multa oppositione dicuntur uni, nam alia non existendo continua, alia in habendo materiam diuisibilem secundum speciem aut propriam aut ultimam, aut in habendo rationes pluras, quid erat esse dicentes». (16) Ad haec facit quod idem Aristoteles in eodem V^o, capitulo IX (1017b), dicit: «Eadem uero dicuntur haec quidem secundum accidens, ut album et musicum idem, quia eidem accidunt, et musicum, quia alterum alteri accidit, musicum autem homo, quia musicum bonum accidit, utrique autem hic et horum utrunque illi. Et enim homini musico et homo musicum idem dicitur et istud et illud. (17) Quapropter et omnia haec ultra non dicuntur, non est uerum dicere quia omnis homo idem et musicum, nam uniuersalia secundum se existunt, accidentia autem non secundum se, sed in singularibus. Simpliciter dicuntur enim idem uidetur Socrates et Socrates esse musicus, nam non in multis propter quod non omnis Socrates esse, musicus non Socrates esse dicitur, quemadmodum omnis homo. (18) Et haec quidem sic dicuntur eadem. Alia uero secundum se quaecunque, quemadmodum et unum, et enim quorum materia una aut specie aut numero eadem dicunt, et quorum substantia una. Quare palam, quia identitas unitas quaedam aut plurium essendi, aut quando utitur ut pluribus, ueluti quando dixerit ipsum ipsi idem, nam ut duobus utitur eodem». (19) Et ad maiorem praedictorum intelligentiam, quod in capitulo sequenti dicitur (1018a), annotetur: «Opposita quidem diuersa uero dicuntur, quorum aut species sunt plures, aut materia, aut ratio substantiae, et omnino oppositae eidem dicitur diuersum». (20) Ad haec magis ante oculos collocanda faciunt quae Porfirius Petrusque Hispanus in *Praedicabilibus* suis dicunt. Porfirius enim in capitulo de genere (*Categ.* 1, 20) scribit: «Eorum enim quae praedicantur, alia quidem de uno dicuntur, sicut diuidua, ut Socrates et hic et haec et hoc; alia uero de pluribus, quemadmodum genere et species et differentiae et proprie et accidentia communiter accepta et non proprie alicui». (21) Idem in 3^o capitulo, scilicet de specie, sic ait: «Descendentibus igitur ad specialissima necesse est diuidentem per multitudinem ire, ascendentibus uero ad generalissima necesse est colligere multitudinem. Collectiuum enim multorum in unam naturam species est. Et magis id quod est genus. Particularia uero et singularia econtrario in multitudinem semper diuiduntur id quod est unum. Participatione uero speciei plures homines sunt unus homo. Particularibus autem unus communis, plures. (22) Diuisiuum enim est semper quod singulare est. Collectiuum autem est

adnatiuum quod commune est assignato autem genere et specie, quod utrunque sit, genere quidem uno, speciebus uero pluribus. Semper enim in plures species diuisio generis est. Genus enim de specie semper praedicatur, et omnia superiora de inferioribus. (23) Species autem neque de proximo sibi genere neque de superioribus neque enim conuertitur. Oportet enim equa de equis praedicari, ut hinnibile de equo, aut maiora de minoribus, minora autem de maioribus minime. Neque enim animal dicitur esse hominem, quemadmodum hominem dicitur esse animal». (24) Et infra: «Solum autem species de omnibus indiuiduis, indiuiduum autem de uno solo particulari praedicatur. Indiuiduum enim dicitur ut Socrates et hoc album et hoc ueniens et Sophronici filius, si solus Socrates sit ei filius. Indiuidua ergo dicuntur huiusmodi, quoniam et septem proprietatibus consistit unumquodque eorum, quarum collectio nunquam in alio erit. Socratis enim proprietates in alio quolibet particularium nunquam. (25) Hae uero quae sunt hominis, dico autem eius qui est communis, proprietates eadem erunt in pluribus, magis autem in omnibus particularibus hominibus, eo quod homines sunt. Continetur enim indiuiduum sub specie, species autem sub genere, totum enim quoddam genus est. Indiuiduum autem ut pars, species uero ut totum et pars; sed pars quidem alterius, totum uero non alterius sed aliis, partibus enim totum». (26) Petrus uero Hispanus in suis *Praedicabilibus*, capitulo de genere (*Categ.* 47, Minio 143), sic quoque dicit: «Idem autem dicitur tripliciter, scilicet idem genere, idem specie, idem numero, ut homo et asinus sub animali. Eadem specie dicuntur quaecunque sub eadem specie, ut Socrates et Plato sub homine. Idem autem numero dicitur tripliciter. Vno enim modo idem nomine uel diffinitione, alio autem modo idem proprio, tertio autem modo idem accidente. (27) Eadem nomine dicuntur quorum res est una, nomina uero plura, ut Marcus Tullius Cicero. Eadem diffinitione sunt, uel dicuntur, quorum unum est diffinitio alterius, ut animal rationale, mortale et homo. Eadem proprio sunt, quorum unum est proprium alterius, ut risibile et homo. Eadem accidente sunt quorum unum est accidens alterius, ut Sortes et albedo, quae est in ispo. (28) Similiter dicitur differens genere, differens specie, differens numero. Differentia genere sunt quae sunt sub diuersis generibus, ut homo est in hoc genere, quod est animal, et arbor in hoc genere quod est planta. Differentia specie dicuntur quae sunt diuersarum specierum, ut homo et asinus. Differentia numero sunt quae faciunt numerum, ut Sortes et Plato».

IX. De unitate pro concordia.

[1] 22^a. Vnitas, id est concordia, tantum bonum in ciuitatibus regnisque sit, ut nullum maius esse possit. Ea nanque urbes regnaque magnopere conseruat et auget, ut discordia diminuit et subuertit; et ubi fuerit unitas, iusticia non est necessaria, non autem econtrarium. Aristoteles enim VIII^o *Ethicorum* (1155a) praeclare sic inquit: (2) «Videtur ciuitates quoque amicitia continere et legum latores magis circa illam student quam circa iusticiam. Concordia enim simile quiddam amicitiae uidetur esse. Huic autem maxime legum latores intendunt. Discordia uero ut rem inimicam expellunt. Et amici si sint, nihil opus est iusticia, at si sint iusti, nihilominus opus est amicitia». (3) Cicero III^o *Ad Herennium*, in *Conuersio* (4, 19): «Ex quo tempore concordia de ciuitate sublata est, libertas sublata est, respublica sublata est, amicitia sublata est». Idem *De officiis*, libro I^o (1, 85): «Omnino qui rei publicae praefaturi sunt, duo praecepta Platonis teneant: unum, ut utilitatem ciuium sic tueantur, ut quaecunque agunt ad eam referant, obliti commodorum suorum. (4) Alterum, ut totum corpus rei publicae curent, ne dum aliquas partes tueantur, reliquas deserant. Vt enim tutela, sic procuratio rei publicae ad eorum utilitatem qui commissi sunt, non ad eorum, quibus commissae est, gerenda est. Qui autem parti ciuium consulunt, parte negligunt, rem perniciosam in ciuitate inducunt, sedicionem atque discordia ex quo euenit ut alii populares, alii optimi studiosi cuiusque uidentur. (5) Hinc apud Athenienses magnae discordiae ortae, et in nostra re publica, non solum sediciones, sed et pestifera bella ciuilia, quae grauis et fortis uir, et in re publica dignus principatu, fugiet atque oderit. Tradetque se totum rei publicae, neque opes aut potentiam consecrabitur, totamque eam sic tuebitur, ut omnibus consulat. Nec uero criminibus falsis in odium aut inuidiam quenquam uocabit, omninoque ita iusticiae honestatique adherescet, ut dum eam conseruet, quamuis grauius offendat, mortem appetat potius quam deserat illa quae dixi». (6) Salustius in *Iugurthino* (= *Cat.* 10, 6): «Nam concordia paruae res crescunt, discordia maximae dilabuntur». Seneca *De clementia, ad Neronem* (1, 19, 7), libro primo: «Amor ciuium inexpugnabile munimentum». (7) Paulus Orosius, libro II^o, capitulo XV (*Hist.* 2, 17, 17): «Verumtamen sapientissimi hominum Athenienses etiam suis malis satis docti concordia minimas res crescere, discordia maximas labi, cunctaque uel bona uel etiam mala, quae foris geruntur interius esse arradicata et emissa principiis, domi abstersere odia, et

foris bella praesserunt, reliquerunt posteris suis de ruina sui exemplum». (8) De reparatione consilium Vlpianus in *l. Siquis ingenuam, § pen.* (D. 49, 15, 21, 1): «In ciuilibus dissensionibus, quamuis saepe per eas res publica laedatur, non tamen in exicium rei publicae contenditur». Multas alias pulchras sententias super re ipsa possem adducere, quas breuitatis causa relinquendas puto.

[2] 23. Vnitas bonorum est, et haec est utilis bonaque. Vnitas malorum est, et haec noxia perniciosaque est. Vnde in XXXIII *Moralium* (34, 4) dicit Gregorius: «Sicut perniciosum est, si unitas desit bonis, ita et perniciosum si non desit malis. Quod bene maris Rubei scissione signatur et enim in duas partes unda diuiditur, electo populo ad terram promissionis iter ostenditur, quia dum malorum unitas scinditur, bonae mentes ad hoc quod appetunt, perducuntur. Si malorum unitas noxia non fuisset, nequaque diuina prouidentia superbientium linguas in tanta diuersitate dissipasset». (2) Idem in *Pastorali* (3, 23): «Si peruersorum nequicia in pace uigerit, profecto actibus eorum malis robur augetur. Qui ergo iniquos pace sociat, uires iniquitati administrat, quia bonos eo deterius deprimunt, quo magis unanimiter persequuntur». (3) Augustinus in libro *De ciuitate dei* (15, 5): «Pugnant inter se boni et mali. Boni, si perfecti sunt, inter se pugnare non possunt. Proficientes autem nondumque perfecti ita possunt, ut bonus quisque ex altera parte pugnet contra alterum, id est contra semet ipsum, et in unoquoque homine caro concupiscit aduersus spiritum. Spiritus uero aduersus carnem». (4) Alibi idem Augustinus ait: «Pax anima rationalis est actionis cognitionisque consensus, uel consensus rationis et uoluntatis secundum quosdam». Bernardus in *Canticis* (48, 2, 2): «O candens lilium, o tener et diligens flos. In te crudeles et subuersores sunt tecum. Vide ergo quomodo caute ambules inter spinas. Plenus est mundus spinis, in aere sunt, in terra sunt, in carne tua sunt. Versari in his et minime laedi diuinae potentiae est, non uirtutis tuae». (5) Hieronymus (*Comm. In Math. 2*) dicit id quod Salustius: «Concordia paruae res crescunt, discordia maximae dilabuntur, Prosper. Moribus in sanctis pulchra est concordia pacis. Sed perfecta pax in hac uita minime reperitur. Nunquam bella bonis, nunquam discrimina desunt. Et cum quo certet, mens pia semper habet». (6) Fulgentius (?): «A circulo Lunae usque ad centrum terrae non est perfecta securitas. In aere non, quia ibi homines malignantes. In mari non, quia ibi uenti et tempestates. In inferno non, quia ibi sunt tortores animas cruciantes. Ergo supra Lunam quaere securitatem, quia citra Lunam minime reperies».

[3] 24^a. Vnitas secundum Bernardum *De consideratione* libro V^o (5, 18, 3) est multiplex: Quaedam collectiua dididet, cum multi lapides unum aceruum faciunt. Quaedam constitutiua, cum multa membra corpus unum, uel multae partes unumquocque totum constituunt. Quaedam natiua, qua anima caroque unus homo nascitur. (2) Quaedam potatiua, qua homo uirtutis praeclarae non instabilis, non dissimilis, sed unus sibimet semper nititur inueniri. Quaedam consentanea, cum per multorum hominum charitatem et cor unum et anima una est. Quaedam uotiua, cum anima uotis omnibus adherens deo unus spiritus est. Est digratiua, cum Christus noster a dei uerbo in unam assumptus est personam. (3) Verum haec omnia quidem ad illum summum atque, ut ita dicam, unice unum pertinent. Vnitatem consubstantialitatis facit hoc unum, si assimiles, quoduis illorum erit quodammodo unum. Si compares, nullo modo. Igitur inter omnia quae recte unum dicuntur, arcem tenet unitas trinitatis, qua tres personae una substantia sunt. Secundo illa praexcellit, qua econuerso tres substantiae in una Christi persona sunt». (4) Et infra: «Dico in Christo uerbum, animam et carnem sine confusione essentialium unam esse personam. Et item absque praeiudicio personas unitatis in sua numerositate manere. Nec negauerim hanc ad illud quoque genus unitatis permanere, qua anima et caro unus est homo decuit, quippe familiaris similiusque cum hominis conuenire constitutione, quod pro homine constitutum est sacrum, tum decuit etiam cum summa, quae in deo est, et deus est, unitate conuenire, ut sicut ibi tres personae una sunt essentia, ita hic conuenientissima quadam contrarietate tres essentiae sint una persona. (5) Videsne pulchre inter utranque unitatem hanc collocari in eo utique, qui constitutus est mediator dei et hominis, quae homo Christus Iesus est pulcherrima? In qua conuenientia ut salutare sacrum a quadam similitudine ambobus respondeat, et saluanti uidelicet et saluato, tamque expressam unionis uim in se praefert ea persona. (6) Duo de se inuicem praedicans non erraueris, deum uidelicet hominem et hominem deum, uere catholiceque pronuncians. Non autem similiter uel carnem de anima uel anima de carne, nisi absurdissime praedicas, etsi quoque anima et caro unus sit homo». (7) Haec ex Bernardo, in libro V^o *De consideratione*, sunt desumpta, ex quibus colligi potest quod unum esse hypostaticum sit in Christo. Ad maiorem harum duarum postremarum regularum, 23 scilicet et 24, intelligentiam confirmationemque, *Catholicon* in uerbo *persona*, *pax*, Thomasque, praesertim in uerbo *unus*, legas.

[4] 25^a. Trinitas, hoc est pater, filius et spiritus sanctus, unus uerus est deus et unius eiusdem substantiae, et est ibi personarum pluralitas unitasque naturae, et ubi unitas in trinitate et trinitas in unitate percolenda est. Nec ibi sit personarum confusio nec substantiae separatio nec singularitas uel solitudo, sed similitudo et pluralitas siue distinctio, ut Augustinus, Ambrosius, Hilarius et Boetius in sui *De trinitate* libris attestantur. (2) De quibus plene per Sententiarum Magistrum, libro I^o, praesertim in distinctionibus II, III, 4^a et sequentibus multis (1, 2, 1; 1, 2, 2-ss.). Et supra, libro 3^o (cf. supra 3, 37, 8-25), in Magistri Sententiarum exemplis, uersiculo *Idem in capitulo I, distinctione 2*, usque ad uersiculum *Idem postea nunc psalmista, nunc apostolum, nunc Augustinum*, dixi plenissime. (3) Nullus tamen arbitrari uelit quod licet deum unum pluresque personas trinitatis dixerimus, in deo numerorum quantitates et rerum multitudinem multiplicatamque ponamus. Horum nanque uerborum usus magis eorum, quae ibi non sunt, remouendorum excludendorumque a deitatis simplicitate quam aliquorum ponendorum causa fuit introductus. (4) Cum enim deus unus dicitur, deorum excluditur multitudo, nec numeri quantitas in diuinitate collocatur, uelut deus est, nec dii multi sunt pluresue, dicatur. Ambrosius enim in libro *De trinitate* (?) ait: «Cum unum dicimus deum, unitas excludit numerum deorum, nec quantitatem in deo ponitur, quia nec numerus nec quantitas ibi est. Similiter cum dicimus *unus est pater* uel *unus est filius* et huiusmodi, ratio dici haec est, quod non sunt multi patres uel multi filii. (5) Ita et de similibus. Item cum dicimus plures esse personas, singularitatem atque solitudinem excludimus, non diuersitatem uel multiplicatam ibi ponimus, quasi diceretur sine solitudine et singularitate personas confitemur». Et hoc Hylarius libro III^o *De trinitate* confirmat. De his per Sententiarum Magistrum, libro I^o, distinctione XXIII (1, 24, 1), per totam distinctionem plenissime scribitur; et ibi scribentes uideantur.

X. De uno principe et summo gubernatore instar dei constituendo.

[1] 26. Instar dei creatoris et gubernatoris mundi, princeps hic et rector ad omnia potissimum gubernanda, unus etiam esse debet, eique uelut primori maximoque totum saltem supremum regimen demandari. Principatu unique uitanda pluralitas, et duorum capitum summopere fugienda monstruositas. Sic enim res deo, naturae, summorum uirorum auctoritati sit consentanea. (2) Vnus enim deus est, una mundi machina, unus Sol pro illuminando die, una Luna pro luminari noctis. Deus quoque unum mare, unam feminam, unam fidem, unum Baptista, unum summum pontificem, unam ecclesiam instituit. Et sicut in tota uniuersali ecclesia unum caput, ut Papa, et in unaquaque prouincia unum archiepiscopum et episcopum in unaquaque cathedrali rectoremque particulari ecclesia. (3) Sic et in toto orbe imperatorem unum, et in singulis regnis ducibusque singulos reges ducesque esse uoluit. Natura unum Foenicem, unam auium speciem, scilicet aquilae, ceteris dominari, et una brutorum speciem, scilicet leonis, ceteris principari, etiamque in uno quoque animanti caput unum facit, et facere consuescit, nisi ex superfluitate materiae uel alias, natura non bene regulata casualiter capita duo producat. (4) Et tandem unum regem in apibus esse instituit, ut homines edocet tum in spiritualibus, tum in temporalibus, singula capita constituenda esse. Haec multis in locis comprobatur. Primum in *Biblia*, deinde in primo apud Ambrosium, Hilarium et Boetium, et apud Sententiarum Magistrum, libro I, distinctionibus II et III, cum multis sequentibus. (5) Item apud Thomam de Aquino in prima parte, quaestione XI^a, in 3^o articulo, ubi docet deum unum esse, et in 4^o articulo et finali examinat utrum deus maxime unus sit. Et in *Summa contra gentiles*, libro I, praesertim in capitulo XLIII^o, aliqui habent in XLII, ubi docet multifariam deum unum esse. (6) Insuper Alexander de Alis in sua *Theologiae summa*, libro I^o, capitulo II^o. Ad haec Papa in *C. I, De summa trini., in antiquis in prin.* et in *Cle. I, § Ad haec Baptisma unicum, eo. ti*. Et imperator in *I. Cunctos populos, eo. ti*. Vltimus apostolus *Ad Ephesios* IIII^o, quem Ciprianus Papa refert. Ciprianum autem Gratianus XXIII, q. I, C. *Loquitur dominus ad Petrum*. Deinceps Gregorius *Ad Rusticum monachum*, et eius auctoritate Gratianus VII, q. I, *In apibus*, uersiculo *Hugus et Guido*, uideantur.

[2] Praeterea inter gentiles Vlixes apud Homerum 2^o *Iliados* (2, 203-204), sic ait egregie: «Neque probandus est plurium principatus unus sit rex, unus sit princeps». Herodotus libro III^o (3, 133) ante finem. Aristoteles XII *Metaphysicae* (12, 1076b) probat deum unum esse, et in fine dicit: «Entia non male disponi uolunt, nec bonum pluralitas principatum, unus ergo princeps», quod Baldus multis in locis allegat, inter quae est in *I. Cunctos populos, C. De summa trini.* (2) Idem Aristoteles in VIII^o *Ethicorum* et 3^o et V^o *Politicorum*. Cicero in *Tusculana* prima et libro II *De legibus*, unum deum et gubernatorem et in corpore nostro unam animam esse demonstrat. Seneca haec eadem et unum principem ubique esse debere multis in locis docet praesertim in 2^a et 8^a tragedia; Ouidius in 2^o *De arte amandi* (3, 564):

«Non bene cum sociis regna Venusque manent»,

(3) Lucanus in primo (1, 92-93):

«Nulla fides regni sociis, omnisque potestas
Impatiens consortis erit».

Et infra (1, 109-111):

«Populique potentis

Quae mare, quae terras, quae totum possidet orbem.

Non cepit fortuna duos».

Statius primo *Thebaidos* (1, 128-130):

«Iurisque secundi

Ambitus impatiens et summo dulcius unum

Stare loco sociisque comes discordia regnis».

(4) L. Florus libro IIII^o, capitulo 2^o, Iustinus post Trogum Pompeium libro XI, Q. Curtius *De Alexandri gestis*, in XI. Plutarchus in *Apothegmatibus*, Pomponius *De ori. iur.*, l. II, § *Nouissime*, ubi notat Accursius (D. 1, 2, 1, 11) super uerbo *rebus dictantibus*: «Nota commodius rem per unum expediri». Sic infra, *De admi. tu.*, l. III, § *Quod in tutoribus*, et nota hic textum: (5) «Apparet igitur praetori curae fuisse, ne tutela per plures administraretur, quippe et si pater non destinauerit quis gerere debeat, attamen id agitur, ut per unum administraretur. Sane enim facilius unus tutor et actiones excercet et excipit, ne tutela per multos spargatur». Et in glosa super uerbo *facilius* uide concordantias et uersum *Segnius expediunt commissi negocia plures*. (6) Patrarcha in libro sine titulo, capitulo I^o (?), ubi post multa pulchra concludit: «Certe, quod experimentis innumeris et doctissimorum hominum auctoritate depraesum est, et in caelo et in terra optima semper fuit unitas principatus». (7) Tandem ego textuum Bbliae doctorumque ecclesiae, potissimum Thomae de Aquino, et summorum Pontificum imperatorumque auctoritate fretus, in mea *Mariade*,⁷ ubi de Virginitate sapientia et uita contemplatiua tracto, quoad diuinae substantiae unitatem et personarum trinitatem cano:

«Tum quoque perspicies qui sit deus unus at ipsae

Personae plures, qui fit generatio diua,

Quae tamen est, erit atque fuit perfectaue semper,

Quique pater generet uerbum, procedat et almus

Spiritus his mire, quibus est confusio nulla,

5

Vna sed est deitas, substantia, gloria compar,

Maiestas et apex, bona sunt his cuncta coequa.

Nec datur ut minor aut maior quis possit haberi,

Sed qualis genitor genitus sit pneumaue sanctu.

Sunt omnino pares nec eorum facta secari

10

Distinguiue quaeunt, numerus sit trinus at unus

Est deus ac dominus. Tunc testes perspicies omnes

Quaeque monet ratio, dein omnipotentia diui,

Ordine quae miro caelos et cuncta creauit,

Nota fit. Effectus causasque uidebis aperte,

15

Nil cupiendo fruire deo, secreta uoluptas

Tunc fit et in rebus perfecta scientia cunctis».

(8) Item *Politica* nostra metrica Gregorii, Gratiani, Hugucii, Guidonis, Thomae de Aquino, Homeri, Herodoti, Aristotelis, Ciceronis, Senecae, Ouidii, Lucani, Stacii, L. Flori, Iustini post Trogum Pompeium, Q. Curtii, Plutharci, Orosii, legum, canonum et patriarchae auctoritate, quo ad principatum unius confirmandum sic cano:

«Sed natura docet quod sit dominatio regis

Clarior et melior, nam cuncta reguntur ab uno

Principe nanque deus mundum, cor et omnia membra

⁷ *Glossa*: Id est historia seu uita Mariae uirginis, matris dei.

Speraue prima regit, alias et rege sub uno
 Quippe reguntur apes, pleraeque sequuntur et unam 5
 Ordine saepe grues, terraue poloque potestas
 Vnica rite regit, fuit et erit optima semper.
 Est monstrum capita duo sint mage multa resurgant
 Non minus in sceptris. Sicut nascuntur ab uno
 Plurima, sic quoque multa quidem rediguntur in unum, 10
 Et bene cuncta regi cupiunt pluresque regentes
 Se magis impediunt; sit in uno principe sceptrum,
 Optimus ast hic erit et quem deus optet ab alto.
 Primum Roma duos habuit, licet ambo fuissent
 Sanguine fraterno, iuncti nequiere sed ipsi 15
 Stare diu, nece fratris enim res uenit ad unum;
 Consulibusque licet binis sit tempore longo
 Recta, necesse fuit tandem reueniret in unum,
 Nanque duos regnum refugit paritate regendi,
 Quamuis hoc fuerit paruum preciique pusilli, 20
 Sic ibi multo minor deberet inesse cupido
 Rixaque, sunt magnis magnae paruisque pusillae.
 Nemo tamen regnis aequalem perferat ullis,
 In tribus est statibus praestantior actus ab uno
 Nilque datur melius quam si regat optimus unus. 25
 Hic magnos paruosque malo praeseruat ab omni
 Et compescit eos qui sedicionibus urgent,
 Plectit et is prauos recteque remunerat almos,
 Dico monarchiam praestare uel omnibus altam.
 Subdit Alexander Dario, cum multa talentum 30
 Milia promittat, Asiam modo diuidat aequae
 Ambos inter eos, reges tolerare nequiret
 Ista duos, ut terra duos producere soles.
 Pluribus optatum quod possit stare sub uno,
 Corruit omnino sit et insociabile regnum, 35
 Firmius est regnum sit et insociabile regnum,
 Firmius est regnum penes unum quando remansit,
 Qam si per multos at binos sectio fiat:
 Consurgunt odia, cum maior uterque sit, optet
 Ac in dicendo uincat, ueniuntque tumultus 40
 ex odiis et ab iis clades, e cladibus autem
 Profluit unius imperium praeclarius. Inde
 Noscitur hoc aliis ut et omnibus ante feratur
 Vnio, pax quoque maior erit si rexerit unus,
 Quam duo uel plures, qui nunquam pace gubernant, 45
 Ni fuerint unum sensusque tot accipis esse
 quot fuerint homines. Et abhinc fit opinio multa
 quae mala magna parit: unum dum flagitat unus,
 Alter auct contra, consortem regna relegant,
 Ac Amor atque Venus et in iis rarissima uirtus, 50
 Nulla fides sociis. Dominando potentia maior
 si data non multis, sed tota tributa sit uni.
 Vis unita quidem se sparsa maior habetur,
 Maxima quae debet in regibus omnibus esse.
 Sic reuerentur eos populi cessantque rebelles 55
 Nec timet, ut multi, quos mutuus incutit horror,
 Se simul expugnant, hinc factio crebra mouetur

Nec timeantur ei nec honore colantur ut unus.
 Vnius et regimen docet experientia rerum
 Multo ualere magis, nec enim tot scandala sentit, 60
 Sedicionis eget, diuturna pace quiescit,
 Iusticiam seruat, simul obstat ad arma uenire,
 Prouidet in cunctis, fit maxima copia rerum
 Curaque fit maior, quod enim commune tenetur
 Negligitur, natura facit communia temni, 65
 Vt, quia iam curet alius, rem negligit unus.
 Inque ministeriis reperis seruilibus illud:
 Nam pauci melius multis persaepe ministrant.
 Vtiliter regere facit haec meditatio regem,
 Quod sibi deinde suis duret dominatio semper 70
 Perpetuum regimen mage quam breue commoda regni
 Seruat et inuigilat, modo nam breue propria airat
 Nec populis parcit, sibi plurima querere possit.
 Rex licet antiquus sit durior atque nouellus
 Mitior inicio satagens, ut iustior extet, 75
 quem pudet, incipiat malus austerusque uideri
 Ac ita mos populis, ut plus uenturus ametur,
 Antiquumque mori cupiant mutareque regem.
 O miseros populos, domini quos ambo gubernant:
 Hic iubet, ille uetat, blanditur hic, ille minatur 80
 Quis bene sic poterit dominis seruire duobus?
 Ergo semper aue! dominus regat optimus unus».

(9) Haec et multa alia super unius principatu in 2^o meo consilio pro reuerendissimo domino Cosma, Vicensi episcopo, in V^o dubio, in XVI argumento, plenius explicatur.

XI. De ullus.

[1] 27^a est regula quod *ullus*, *-a*, *-um*, ab *unus* dicitur, id est aliquis, et in quantitate communis genitui, penultima tamen in prosa semper *ullius* debet acui. Et inde *uspiam* et *usquam*, id est in aliquo loco uenit, de quibus supra, libro 2^o, uersiculo *Idem Paulo ante*, de *uspiam* dictum est (cf. supra 2, 27, 2). Et ab his *nuspiam*, *nusquamque* componitur. *Nuspiam* uero *nusquamque* loci sunt aduerbia uniuersaliter negatiua, id est in nullo loco, quippecum ex *non* et *uspiam usquamque* fiat compositio. (2) Verum *unquam*, id est aliquando, aliquo tempore, et *nunquam*, id est nullo tempore, ad tempus pertinent, temporisque aduerbia sunt dicenda. In *nunquam* uero ex *non unquam*, composito de *non*, *-n-* tantummodo remanet. De *nunquam* et *nusquam* uersus assignatur:

«Ad tempus *nunquam*, sed pertinet ad loca *nusquam*».

De his per *Catholicon* in *ullus*, *nunquam*, *nuspiam*, *nusquamque* reperies.

[2] 28^a. Inter *aliquis* et *ullus* et *alicubi* et *usquam* sit differentia quod *aliquis*, *aliquando*, *alicubique* absolute, id est sine comparatione, ad aliud proferuntur, ut *aliquis ad me uenit*, et *alicubi*, id est in aliquo loco, *sumus*, et *aliquando*, id est aliquo tempore, *hoc contingit*. *Vlla* autem ex omnium numero infinito pendet. (2) Oportet enim *ullus* omnium intelligere et cunctos ad hoc numeros referri posse. Nec absque ratione diminutium *unius* dicitur esse. Diminuit enim quantum ad deriuationem de *unus* per mutationem *-n-*, in duplex *-l-*, ut *uillum de uinum*, et quantum ad officium; *unus* enim absolute comparatiueque teneri potest, ut *unus uenit*, uel *unus istorum fecit*, sed *ullus* comparatiue solum. (3) Et sic ad aliquid, id est in comparatione ad aliud, uidetur esse, ut *summus* et *imus* et *primus* et *ultimus* ad omnia dicuntur, tam locis quam temporibus supposita uel subiecta. *Summus* enim et *imus* dicuntur ad aliquid, id est respectu loci uel ordinis relatiua sunt. *Summus* enim respectu *imi* et *imus* respectu *summi*. (4) Similiter *primus* et *ultimus* correlatiua eisdem sunt respectibus. Sic et *ullus* et *usquam* et *nunquam* in comparatione et non absolute dicuntur, sed *usquam* ad omnia loca, *unquam* uero ad omnia refertur tempora. Nam et composita ab his *omnium* generaliter abnegatiua sunt, quae per ea significari possunt, ut *nullus omnium deorum gentilium*, uel *hominum*, uel *eorum*, quae sub nomine *ullus* cadunt. (5) Similiter et *nusquam* omnium

locorum et *nunquam* omnium temporum abnegatiuum est. His Priscianus primo minoris, § *Et praeterea*, carta XIII, uersiculo *Inter aliquis et ullus* (Prisc. 17, 45), auctoritatem praestat.

[3] 29^a. Quod secundum aliquos expositores Prisciani in hoc loco, *aliquis* et absolutum et comparatiuum esse potest, ut *aliquis ad me confugit*, et *aliquis horum egit*, ut Priscianus ibi det unum non auferendo aliud, sed haec tria *ullus*, *usquam* et *unquam* ad alterum seu ad aliquem obliquum habent dependentiam, ut *ullus hominum*, *usquam locorum*, *unquam temporum omnium*. (2) De his in hac regula proximeque dicta contentis, supra, libro II^o, § *Priscianus primo minoris*, uersiculo *Inter aliquis*, simul cum glosis plene scripsi (cf. supra 2, 10, 10; Prisc. 17, 46).

[4] 30^a. Secundum Laurentium Vallensem, *De elegantis* libro II, capitulo XVIII, in fine: «*Inter quidam et aliquis seu quisquam siue quispiam*, haec est differentia, quod *quidam* hominem certum, *aliquis* cum sequentibus incertum significat». (2) Vnde Nicolaus Perottus, carta 118, sic notanter ait: «Hic similiter notandum est quod *aliquis* et *quidam* differunt; *aliquis* enim particularis dictio est, et significat aliquem incertum, ut si dicam *aliquis pulsauit hostium*, hoc est homo aliquis, quem nescimus. (3) *Quidam* uero est dictio potius singularis, et significat *aliquis* certum et distinctum hominem, licet non nominatum, ut si dicam *uenit ad me quidam amicus meus*, hoc est, unus quem scio, et non nomino, nec liceret dicere *uenit ad me aliquis amicus meus*». (4) Ideoque libro Laurentius idem in eodem, capitulo LXVII^o, subiicit: «*Aliquis, quisquam, quispiam, ullus* idem significant, differuntque a *quidam*, ut in libro *De dialectica* ostenditur: "Vllus tamen quodammodo claudicat". Nec fere citra negationem, quasi citra baculum, ingredi potest, nisi interrogatiue, ut *uocat me ullus?*, aut subiunctiue, ut *si ullus me uocat*, nunquam plane affirmatiue, sicut superiora illa». (5) Sic et de his in meo *Elegantiarum breuiario*, in locis antedictis dixi, quippe cum eundem ordinem teneam, et uide supra, libro 2^o, uersiculo *Item de aliquis*, quod *ullus* cum negatione quadam plerunque, uel interrogatiue quandoque ponatur, multifariam Cicero *De officiis*, libro III, § *Sed quoniam a quattuor fontibus* (3, 26, 97), demonstrat hoc modo: «Vllum tu decus in quottidianis laboribus et periculis cum hac tranquillitate conferendum putas?» (6) De hoc supra, libro 3^o, uersiculo *Cicero idem in eodem*. Hic enim Cicero hoc nomine *ullus* sine expressa negatione cum interrogatione utendo, tacite negationem importat. Significat enim nullum decus cum hac tranquillitate conferendum putari debere. (7) Titus Liuius *De bello Punico* 2^o, in libri tertii principio (25, 1, 5), cum expressa negatione sine interrogatione ponit: «Legati ad Hannibalem uenerunt, pacemque cum eo et condiciones fecerunt, ne quis imperator magistratusque ullum ius in ciuem Campanum haberet, neue cuius Campanus inuitus militaret», supra inter T. Liuii exempla, uersiculo *In libri tertii principio Legati ad Hannibalem*, reperies. (8) Idem libro 5^o, in principio: «Sempronius consul in Lucanis multa proelia parua haud ulla digna memoratu fecit, et ignobilia oppida Lucanorum aliquot expugnauit». (9) L. Florus libro III^o, capitulo II^o (4, 2, 43): «Nunquam ullo loco tantum uirium populi Romani, tantum dignitatis fortuna uidit trecenta amplius milia bellatorum hinc illinc, praeter auxilia regum et senatus». De hoc supra, sub uersiculo *Idem in capitulo 2^o Iam toto orbe*, ibi *Sic praecipitantibus fatis*. (10) Iustinus in libri secundi principio (2, 2, 1): «Hominibus inter se nulli fines neque enim agrum exercent, nec domus illis ulla», supra, inter Iustini exempla, uersiculo *Idem in secundi libri principio Scithya autem* (supra 3, 17, 4-5). Idem in 3^o, sub uersiculo supra *Idem in tertii libri principio Xerxes rex Persarum* (Just. 3, 2, 5), de Licurgo sic inquit: «Siquidem nihil lege ulla in alio sanxit, cuius non ipse primus in se documenta daret». (11) Ex his exemplis liquet *ullum* quandoque interrogatiue cum tacita negatione poni, et plerunque plane cum negatione expressa. Ideo dicendum puto non simplex *ullus* pro *aliquis*, secundum *Catholicon* et *Compraensorium*, sed comparatiue solum seu ad aliquid secundum Priscianum, uel interrogatiue negationem tacite implicando, uel negatiue cum negatione nominatim facta, saltem subiunctiue et nunquam plane affirmatiue, secundum Laurentium Vallensem, qui Prisciani opinionem coadiuuat et exponit, id quod in *nullus*, eius composito, uideri potest, accipiendum esse (cf. supra 2, 48, 2; 3, 8, 19; 3, 15, 29; 3, 16, 19; 3, 17, 4; Valla, *Eleg* 3, 18; 3, 63; Perotti, *Rudimenta* fol. p4u.).

XII. De nullus.

[1] 31^a. *Nullus* de *non* et *ullus* componitur, et secundum recentiores auctores genitiuo *nullius* et datiuo *nulli* facit, licet antiqui *nulli*, *nullae*, *-li*, datiuo *nullo*, *-ae*, *-o*, dixerint. Vnde *Hieremiae* XIII^o: «Et ecce computruerat lumbare, ita ut nullo usui aptum esset». (2) Sicut et in simili dicitur in *Euangelio*: «Alio dixit», et a *nullus*, *nullo*, *-as*, id est nihilare, et componitur *annullo* ex *ad* et *nullo*, sed *-d-* mutatur in *-n-*, et debilitare annihilareque significat, quae quidem uerba sunt actiua. De his *Catholicon* in *nullus*.

[2] 32^a. *Nullus* secundum Priscianum primo minoris, § *Et praeterea*, uersiculo *Inter aliquis et ullus*, ut et omnia ab *ullus* composita, omnium generaliter abnegatiuum est, ut in 28 regula plene dictum est (cf. supra 4, 11, 2; Prisc. 17, 45).

[3] *Inter nullus* et *nemo* est differentia quod *nullus* signum uerbale negatiuum et mobile adiectiuum sit, ex *non ullusque* compositum, quod et de omnibus generaliter, ut *ullus*, proprie dici potest. *Nemo* uero siue ex *non* et *homo* componatur, ut quibusdam uidetur, seu ex *non* et *non ab homo*, communis est generis, et *-o-* mutat in *-i-* et addita *-nis*, genitiuus facit *neminis*, et secundum opinionem primam proprie de hominibus dicitur, secundum uero alteram nec solum de hominibus sed de diis quoque, Virgilius in VIII (*Aen.* 9, 6):

«Turne quod optanti diuum promittere nemo»,

(2) Et ideo ab *homo* non uidetur esse compositum. Priscianus in VI^o et *Catholicon* in *nemo*, super hoc nomine *nemo* testes sunt egregii, et ego in meo *Elegantiarum breuiario*, libro 3^o, capitulo 31, in fine, Priscianum refero. Vide supra, libro 2^o, uersiculo *In meo Elegantiarum breuiario*, carta 131 (cf. supra 2, 41, 6). Festus uero Pompeius ait (Fest. 163): «*Nemo*, nec homo». Varro autem scribit (Ling. Lat. 6, 80): «*Nemo*, pro *nullus*, Virgilius in VIII (*Aen.* 9, 6-7):

«Turne quod optanti diuum promittere nemo

Auderet»;

(3) Cicero in *Catone Maiore* (*De sen.* 84): «Quo nemo uir melior». Item Festo Pompeio teste (Fest. 16): «*Neminis* genitiui casus Cato usus est», cum dixit: "Sunt multi quos non miseret neminis". Nonius quoque Marcellus ait (Non. 143): «*Neminis* pro *nullus* est positum, Plautus in *Captiuus* (764-65):

«*Neminis*

me miseret, nam mei miseret neminem».

Itaque *nemo* pro *non homo* et pro *nullus* inuenitur, licet reuera substantiuum sit, et *nullus* adiectiuum mobiliter declinatum et uerbale signum. (4) Sciendum autem quod si *nullus* uel *nemo* praeponatur negatio, ad signum particulare fit equipolentia, quippe si cuiusdam signo negatio praeponatur, suo contradictorio equipollet, unde *non omnis homo legit, quidam homo non legit*, et *non nullus homo legit, quidam homo legit* equipollet. (5) Et sic de aliis intelligendum est. Ideo Tullius 2^o *Ad Herennium* (2, 33), *non nemo* pro *aliquis homo* posuit, ibi nanque scribit: «Non nemo deuerterit in amorem uno aspectu», id est *aliquis homo*. (6) Et de huiusmodi quotidianis equipollentibus aliisque Petrus Hispanum bona metra regulasque ponentem uide, saltem metra recitabo:

«Non omnis quidam, non omnis, quasi nullus.

Non nullus quidam, sed nullus non ualet omnis.

Non aliquis nullus, non quidam non ualet omnis.

Non alter neuter, neuter non praestat uterque

Prae contradic post contra, prae postque sub alter» (uersus apud Petr. Hisp. non repperi, sed cf.

Tractatus, 12, 21 = Rijk 222).

[4] *Nullus* secundum 34 regulam pro *minime* legitur, Terentius in *Andria* (2, 2, 33):

«Liberatus sum hodie, Daue, tua opera ac nullus quidem».

Priscianus enim in XV^o, in uersiculo *Eminus* (15, 23), sic ait: «*Eminus* quoque et *cominus* localia sunt. (2) *Aduersus* quoque, quod etiam nominatiuus est, quomodo *nullus* pro *minime*, Terentius in *Andria* (2, 2, 33):

"Liberatus sum hodie, Daue, tua opera ac nullus quidem".

Similiter *fors*, cum sit nominatiuus, accipitur pro aduerbio». (3) Vbi Petrus Heliae (Reilly 789) haec confirmans addit: «Et omnia comparatiua quae similia sunt nominibus comparatiuis neutri generis aduerbia inueniuntur, ut *clarius* et similia». Et de his in meo *Elegantiarum breuiario*, libro VI, capitulo XX, in uersiculo *Eminus*, additamentum feci. Seruius quoque (*Aen.* 9, 6) in *Alfonsina* *nullus* pro *minime* sumi tenet.

[5] *Nunquam*, *neutiquam* pro *nequanquam* secundum 35 regulam et ipsum *nequanquam* et *nusquam* *nuspianque* simplicem negationem dicunt. Ideoque uerbo unico sunt contenta, ut *nunquam*, *neutiquam*, *nequamquam*, *nusquam* uel *nuspian* comparebo. *Necubi* uero non simplicem, qua de re duplex uerbum flagitat, ut *cupio*, *necubi mihi sis obuius*, id est ne alicubi; ut *sicubi* pro *si alicubi*, *sicunde* pro *si alicunde*. (2) De hoc et negationis usu, apud Laurentium, libro III^o, capitulo 31, et apud meum breuiarium, eodem libro et capitulo, cum additamento de *nemo* et *nihil* secundum Priscianum, plenissime scribitur, pleniusque supra scribo, libro II, uersiculo *Item in capitulo sequenti de negationis usu* usque ad uersiculum *Ego quoque in capitulo sequenti* (cf. supra 2, 41; Prisc. 6, 23; Valla, *Eleg* 3, 27).

XIII. De solus.

[1] 36. *Solus*, -a, -um sine alio singularis, unde *solitarius*, -a, -um, id est singularis, unde heremitae dicuntur solitarii, quia soli in heremo commorantur. Item *solitarius* a *soleo*, -es uel *solutus* deriuari potest, et tunc solitarius assuetus uel solutus dicitur. *Solus* quoque a *soluo*, -is potest deriuari, qui enim solus est, quasi solutus et separatus est ab aliis, primamque producit, unde quidam: «Non facies solus quod fugit omnis homo». Et *solummodo* de *solus* et *modo* compositum uel ubi duae partes pro una ponuntur, aduerbium quantitatis uel taxatiuum est tantummodo significans, et cum penultima breuis sit, in antepenultima habet iactatum. Hoc probat *Catholicon*.

[2] 37. *Solus* est *desertus*, Virgilius III^o *Georgicarum* (3, 249):

«Heu male tum Libyae solis erratur in aruis»

Idem in IIII (*Georg.* 4, 465):

«Te solo in litore secum»,

Solum uero neutri generis cum prima correpta non modo terram a *sol*, *solis* quia soli pateat, sed et pedis inferiorem partem, quia hoc terrae uestigia imprimimus, sed et cum terra sit ad sustinendum firmamentum quod unicuique rei subiacet, significat, unde aer auium et mare nauium et caelum deorum stellarumque dicitur esse solum. Virgilius in V^o (*Aen.* 5, 199):

«Subtrahiturque solum»;

(2) et pro his et Seruius super Virgilium, praedictis locis et Ioannes de Balbis auctor est. Quod autem *unus* et *solus* more superlatiuorum genitiuum regant, et accusatiuum cum praepositione *inter*, et ablatiuum cum praepositione *ex* superlatiuorum speciem possint subiicere, et *unus* pro *solus* inueniatur, supra in X^a regula disserui (cf. supra 4, 8, 3).

XIV. De alius.

[1] 38. *Alius*, *alia*, *aliud* ad aliquid et abnegatiuum de pluribus quam duobus dici potest, cum *alter* dicatur tantummodo de duobus, Hugucione teste, unde *Graecismus*: «De multis proprie *primus* dices *aliusque*, sed *prior* ac *alter* dic concordare duobus». *Alius* quoque differt a *ceteris*, *alii* nanque ex diuerso dicunt numero, sed *ceteri* de eodem, unde secundum Papiam: «*Ceteri* reliqui ex eodem numero». (2) *Ceterum* nam dicit et sed, ut *Catholicon* in *alius ceteri ceterisque* scribit. *Cetera* quoque pro *deinceps* aduerbio reperitur, Virgilius in IX (*Aen.* 9, 656):

«Cetera parce puer bello»,

ut ibi Seruius interpretat. *Cetra* uero est obstaculum et scutum. (3) Varro *De uitis patrum* (*Sat. Men.* 88, 1):

«Quis rotundam facere cetram queat»,

secundum Nonium Seruius hoc confirmat super Virgilium in VIII (*Aen.* 7, 732):

«Laeuas cetra tegit»,

exponendo.

[2] 39. Inter *alius* et *reliquus* assignari potest differentia, nam *alius* generaliter dicitur de diuerso, hic siue restet, seu non. *Reliquus* proprie de eo qui restat uel superat, unde *reliquum* est quod restat uel superat, secundum Papiam uocitatur. Saepe tamen id quod *alius* significat. *Reliqui* uero nomen et uerbum esse potest, nam de *reliquus*, -a, -um nomen est genitiui casus numeri singularis uel nominatiui pluralis, et tunc tam prima quam secunda syllaba breuiatur. (2) De *relinquo*, -is autem uerbum praeteriti perfecti est, tum prima exeunte breui, secunda producit, ut in simplici *linquo*, -is, *liqui*, unde usus *sunt homines reliqui*, *memorans quos mente reliqui*. Item a *relinquo*, *reliquiae*, -arum uenit, primaque secundum Donatum corripitur, sed per epenthesisim -l- duplicatur, ut in metro producat, unde Virgilius primo *Aeneidos* (1, 30):

«Troas reliquias Danaum atque immitis Achillis»,

et *reliquae* partes sunt residuae. (3) Item *reliquiae* dicuntur ossa uestimentaue sanctorum quae nobis relinquunt, ut eorum merita recolentes ipsos digne ueneremur, eorundem uitam imitantes. De his *Catholicon* in *relinquo*, *reliqui*, *reliquiae*, *reliquum est*, *Compraensoriumque* scribunt.

[3] *Alius*, -a, -ud in neutro genere, semper per -d-, ut *quid*, scribitur, et in genitiuo *alius* penultima semper producta, non modo prosa, sed et in metro facit, qui tamen genitiuus in usu raro sit. *Alii* in datiuo propter *ali* infinitiui de *alo* concidentiam remouendam fit, licet antiqui *alii*, -ae, -ii, *alio*, -ae, -o dicerent, unde *Matheo* VIII: «Dico alio ueni, et uenit». Ad hoc Priscianum in VI, VII XIIIque

*Catholicon*que in *alius*, in testes adduco, supra, libro 2, uersiculo *Haec autem octo*, plene scripsi (cf. supra 2, 4, 1; Prisc. 6, 37; 7, 20; 13, 12).

[4] 41. *Alius* secundum Laurentium Vallensem, libro 3^o, capitulo 63, de multis, ut *alter* de duobus, dicitur, et pro *diuersus* accipitur, ut *alius campus meus est, alius tuus, alia frons mea, alia tua, aliud hoc caput, aliud illud* et alió aduerbialiter positum pro ad alium locum, ultimam acuendam leges, Salustius in *Catilinarii* prologo (1, 1): «Neque aliud alio ferri neque mutari ac misceri omnia cerneret», supra inter Salustii exempla, libro III, § *Quae per praecepta*. (2) Idem in tractatu ultra medium, sub uersiculo *Nisi uirtus*, ibi (Sall. *Cat.* 37, 1): «Item alii qui per dedecora, patrimoniis amissis, postremo omnes quos flagicium aut facinus domo expulerat. Hi Romam, sicut aqua in sentinam influxerant». Et paulo post: «Praeterea iuuentus», et cetera, «Eos atque alios omnes malum publicum aiebat». Et pro huius regulae declaratione per Laurentium Vallensem meumque *Breuiarium*, libro III, capitulo LXIII, et quod scripsi supra, libro 2^o, § *Quoniam satis*, carta 140, perspicere (cf. supra 3, 9, 2; 3, 12, 5; 2, 41, 1; Valla, *Eleg.* 3, 59).

[5] 42. *Alius* quandoque permaxime in plurali cum modico interuallo geminatur, et tum non modo pro *diuersus* sed et pro *hic* et *ille* accipitur. Salustius in *Catilinario* (12, 3-ss.): «Nam ut cuiusque studium ex aetate flagrabat, aliis scorta praebere, aliis canes atque equos mercari». (2) Dixi supra, sub uersiculo *Postquam textum Salustii*, et multo post sub uersiculo *Ni uirtus*, ibi: «Deinde multi memores Syllanae uictoriae, quod ex gregariis militibus alios senatores uidebant, alios ita diuites, ut regio cultu atque uictu aetatem agerent, sibi quisque, si in armis foret, talia sperabat (Sall. *Cat.* 20, 1-ss.)». (3) Q. Curtius, libro III (3, 11, 5), supra sub uersiculo *Tempestiuum est*, ibi: «Illo utique clarus proelio, alios improuide instantes prostrauit, alios in fugam auertit» (cf. supra 3, 12, 2; 3, 18, 2).

[6] 43. *Alius alia* in genere masculino femininoque in diuinis personam, id est subsistentiam proprietatemque respicit. *Aliud* uero in neutro genere essentia dicit et substantiam, unde *pater alius est a filio et spiritu sancto, ut etiam filius a patre et spiritu sancto, et spiritus sanctus ab utroque*, sed non *aliud*. (2) Nam et Augustinus ait: «Vna est patris et filii et spiritus sancti essentia, quam Graeci *omosion*⁸ dicunt, in qua non est aliud pater, aliud filius, aliud spiritus sanctus». Idem Augustinus: «Arrius dicit *aliud pater, aliud filius*, recte, si diceret *alius* non *aliud*, quando enim dicit *aliud*, contradicit ei a quo audit, ego et pater unum sumus». (3) Haec *Catholicon* refert in *alius*. Ex hoc consequens est dicere quod in diuinis *alius*, *-a* pro *distinctus*, *-a* debet accipi, quod de persona patris et filii et spiritus sancti dici debet, quandoquidem una persona distincta est ab alia, sed *aliud* pro *diuersum*, quod diuinae personae non recipiunt; quippe cum aliud diuersitatem dicat in substantia, quod ut prorsus haereticum et ab omni ratione abhorrens aufugiendum est. (4) Adeo ut in scriptura sacra, si personae trinitatis diuersae dicantur, *diuersae*, id est *distinctae*, debeamus exponere. Ambrosius enim in libro *De trinitate* (?) dicit: «Non est diuersa nec singularis aequalitas nec iuxta Sabellianos patrem filiumque confundens, nec iuxta Arrianos patrem filiumque secernens. Pater enim et filius distinctionem habent, separationem uero non habent.» (5) Idem in eodem (*De fide* 1, 2): «Pater et filius diuinitate unum sunt, nec est ibi substantiae differentia, nec ulla diuersitas. Alioquin quomodo unum deum dicimus? Diuersitas enim plures facit». (6) Hoc Sententiarum Magister, libro I^o, distinctione XXIII, capitulo refert penultimo (1, 23, 9), ubi concludit hoc modo: «Constat ergo ex praedictis, quia in trinitate nulla est diuersitas. Si tamen aliquando in scriptura inuenitur dictum *tres diuersae personae* et huiusmodi, *diuersas* dicit *distinctas*». (7) Idem in capitulo sequenti (1, 23, 10): «Et sicut in trinitate non est diuersitas, ita nec multiplicitas, et ideo non est dicendus deus multiplex, sed trinus et simplex. Vnde Ambrosius in libro *De trinitate* (1, 2) ait: "Est in patre et filio non discrepans, sed una diuinitas, non confusim, quod unum est, nec multiplex esse potest quod indifferens est multiplex itaque deus non est». (8) Idem in distinctione sequenti, puta XXIII, capitulo antepenultimo (Petr. Lomb. *Sent.* 1, 24, 1), praeclare sic inquit: «Cum autem dicimus *distinctae sunt personae* uel *distinctio est in personis*, confusionem atque permixtionem excludimus. Et hanc non esse illam significamus. Cumque addimus *distinctae sunt personae proprietatibus siue differentes proprietatibus*, aliam esse hanc personam et aliam illam suis proprietatibus significamus. Et cum dicimus *aliam* et *aliam*, non diuersitatem uel alienationem ibi ponimus, sed confusionem Sabellinam excludimus». (9) Idem in

⁸ *Glossa*: *Omosion* dicitur ab *omos*, quod est *unum*, et *usia* quod est *substantia* uel *essentia*, et dicitur *omosim* uel *omosios*, id est unius uel eiusdem substantiae uel assimilatio, unde *Iesus Christus dominus noster omosios*, id est eiusdem substantiae cum patre; unde ipse dicit in *Ioanne* (10., 30): «Ego et pater unum sumus». Item secundum Papiam *omosision*, id est similis substantiae, quia qualis deus pater talis filius, imago eius. *Catholicon*.

capitulo sequenti: «Ita etiam cum dicuntur *discretæ personæ* uel cum dicitur *discretio in personis*, eandem intelligentiam facimus. Eodem enim modo ibi accipitur distinctio, quo discretio, et congrue dicitur ibi esse discretio uel distinctio, non diuersitas uel distinctio siue separatio. (10) Vnde Ambrosius in libro primo *De trinitate* (1, 2): "Non est ipse pater, qui filius, sed inter patrem et filium expressa distinctio. Cum ergo dicitur *trinitas*, id significari uidetur, quod significatur, cum dicitur *tres personæ*, ut sicut non potest dici *pater est tres personæ*, et *filius est tres personæ*. Ita non debeat dici *pater est trinitas* uel *filius est trinitas*». (11) Idem in XXV distinctione, capitulo II (Petr. Lomb. *Sent.* 1, 25, 2), dicit: «Persona enim, ut supra ait Augustinus, ad se dicitur, et id est deo esse personam, quod esse, sicuti idem est ei esse, quod deum esse. Vnde manifeste colligitur, quod essentiam diuinam praedicamus dicentes *pater est persona*, *filius est persona*, *spiritus sanctus est persona*, id est essentia. (12) Et omnino unum et idem significatur nomine *personæ*, id est essentia diuina, cum dicitur *pater est persona* et *filius est persona*, quod significatur nomine dei, cum dicitur *pater est deus*, *filius est deus*, ita etiam idem significatur, cum dicitur *deus est deus* et *deus est persona*, utroque enim nomine essentia diuina intelligitur, quia utrunque secundum substantiam dicitur». (13) Idem in eodem capitulo sciendum ait: «Hoc nomen, scilicet *persona*, proprie secundum substantiam dicitur et essentiam significat. Sicut supra ostendit Augustinus, cum dicitur *deus est persona*, *pater est persona*. Quadam tamen necessitate, ut supradixit Augustinus, tractatum est hoc nomen, ut pluraliter diceretur *tres personæ*, cum quaereretur, quid tres uel quid tria, ubi non significat essentiam, id est naturam diuinam, quae communis est tribus, sed subsistentias uel *hypostases* secundum Graecos». (14) Et infra: «Cum ergo dicimus *tres personas* non ibi personæ nomine essentiam significamus. Quid ergo dicimus? Dicimus quia tres personæ sunt, id est tres subsistentiae, scilicet tres entes, pro quo Graeci dicunt *tres hypostases*». (15) Idem in capitulo sequenti (*Sent.* 1, 25, 6): «Et hic sensus adiuuatur ex uerbis Augustini praemissis, si interius intelligantur. Quia enim pater est persona, id est essentia, et filius persona et spiritus sanctus persona, ideo dicuntur tres personæ, id est tres subsistentiae, tres entes. (16) Non enim possent dici *subsistentiae* uel *entes* nisi singulos eorum esset personæ, id est essentia. Quia ergo eis commune est id quod est persona, id est essentia. Ideo recte dicuntur *tres personæ*, id est subsistentiae uel subsistentes, ut sicut essentia, quae est eis communis, uere ac proprie est. Ita illi tres uere ac proprie subsistentiae uel entes intelligantur. (17) Ideoque Augustinus causas dictorum discernens dicit tres personas esse unam essentiam uel eiusdem essentiae non ex eadem essentia, ne aliud intelligatur ibi esse persona, aliud essentia. Tres enim personæ, id est subsistentiae, una sunt essentia et unius essentiae, non autem sunt una persona uel unius personæ, licet persona secundum substantiam aliquando dicatur. Nam si hoc diceretur, confusio fieret in personis». (18) Idem in capitulo sequenti quod incipit *Ad hoc autem*, circa medium dicit: «Non autem te moueat, quod diximus *tres res*, non enim hoc dicentes diuersarum rerum numerum ponimus in trinitate, sed ita *res* dicimus ut easdem esse unam quandam summam rem confiteamur. (19) Vnde Augustinus in libro *De doctrina Christiana* (1, 3) ait: "Res quibus fruendum est, nos beatos faciunt. Res igitur, quibus fruendum est, scilicet pater et filius et spiritus sanctus eademque trinitas una quaedam summa res communisque fruentibus ea, si tamen res et non rerum omnium causa sit. (20) Est tamen et causa. Non enim facile potest inueniri nomen quod tantae excellentiae conueniat, nisi quod melius dicitur *trinitas* haec, unus deus. Sicut ergo *tres res* dicuntur, et haec sunt una substantia". Ecce ostensum est quae sit intelligentia huius nominis persona, cum dicimus *tres personas*». (21) Consequenter magis declarans ex quo sensu dicitur *alia est persona patris*, *alia filii*, *alia spiritus sancti*, unde haec nostra regula sit apertior, in capitulo *Nunc inspiciamus* (*Sent.* 1, 25, 9-11), praeclare sic inquit: «Nunc inspiciamus, utrum secundum eandem rationem et causam dicatur *alia est persona patris*, *alia filii*, *alia spiritus sancti*, quod utique sane intelligi potest, ut sit sensus talis. Alia est subsistentia uel hypostasis patris, alia subsistentia filii, alia spiritus sancti, et alia subsistentia pater, alia filius, alia spiritus sanctus». (22) Quod autem nomine *personæ* quandoque personæ proprietates intelligantur, Magister in capitulo sequenti, quod incipit *Deinde quaeritur* docet hoc modo: «Deinde quaeritur utrum secundum eandem rationem accipiatur, cum dicitur *alius est pater in persona*, *alius in persona filius*, *alius in persona spiritus sanctus*, siue *alius personaliter filius*, *alius personaliter spiritus sanctus*. (23) Ad quod dicimus, quia etsi possit eodem modo accipi, congruentius tamen ex ratione dicti *alia* uariat intelligentia, ut hic personæ nomine proprietates personæ intelligantur, ut sit sensus talis: alius est in persona uel personaliter pater, id est proprietate sua pater alius est, quam filius, et filius sua proprietate alius quam pater. Personali enim proprietate distinguitur hypostasis, patris ab hypostasi filii et hypostasis filii filiali proprietate discernitur a patre, et spiritus sanctus ab utroque distinguitur, processibili proprietate». (24) Idem Magister in capitulo sequenti *Hoc etiam* subiicit: «Hoc etiam modo sane potest accipi persona in praemissis

locutionibus, cum dicitur *alia est persona patris, alia filii*, id est alia est proprietas, qua pater est pater, alia qua filius est filius, alia qua spiritus sanctus est spiritus sanctus. Ita et nomine *personae* quidam proprietates intelligere uolunt, cum dicuntur *tres personae*, sed melius est ut subsistentias uel hypostases intelligamus, cum dicimus *tres personas*. (25) Ex praedictis colligitur quod nomen *personae* in trinitate triplicem tenet rationem. Est enim ubi facit intelligentiam essentiae, et est ubi facit intelligentiam hypostasis, et est ubi facit intelligentiam proprietatis». Ex his autem omnibus haec regula de *alius, -a, -ud* in diuinis remanet quamclarissima, nisi enim hoc nomine *persona* quot modis in trinitate sumatur plene intelligatur. (26) De regula ipsa nequit aperta recipi cognitio. Ad quam plenius consequendam non possum praetermittere quod Hieronymus in *Expositione fidei Catholicae ad Philippum et Augustinus* scribit. Item Ioannes Damascenus alibique Hieronymus, quos Magister libro I, distinctione XXV, capitulo finali et distinctione XXVI, capitulo I, refert. (27) Quae supra, inter Magistri exempla, in uersiculo *Idem in capitulo Quod autem, quod est finale, distinctionis 35, et uersiculo Idem Magister in capitulo I, distinctione XXVI, ad uerbum reperies*. (28) Quare *alius, -a, -um* pro *distinctus, -a* et *discretus, -a*, de personis diuinis affirmatiue dici potest, cum *persona* non pro essentia, substantia seu natura, sed pro subsistentia seu hypostasi secundum Graecos et proprietate accipitur, ut *pater est alius a filio et a spiritu sancto* et e contrario, et *alia est persona patris, alia filii, alia spiritus sancti*, et in multis aliis exemplis antedictis. (29) *Aliud* uero pro *diuerso* in substantia non affirmatiue sed negatiue proferri debet, ut *pater non est aliud*, id est res diuersa, *a filio nec a spiritu sancto*, nec uice uersa. Nam qui affirmatiue diceret *pater rest aliud a filio*, in errorem Arrianorum incideret, et quid execrandum perluendumque proferret (cf. supra 3, 37, 24).

[7] *Aliud* quoque in neutro genere pro *distinctum* seu *discretum* in diuinis personis et notionibus relationibusque debet affirmatiue dici, ut quando tertia trinitatis persona in genere neutro reperitur. Si quidem est dicendum *pneumam sanctum est aliud*, id est distinctum et discretum a patre et filio. (2) Nec mirum, cum et in scriptura sacra *diuersum* pro *distinctum* quandoque ponatur, ut iuxta Magistri sententiam, in capitulo *Iam sufficienter puta*, in fine, libro I, distinctione XXIII, positam antedixi. Item *aliud* pro *distinctum* et *discretum* de personarum proprietatibus affirmatiue est dicendum, ut *aliud est genuisse quam genitum esse*, et *aliud procedere quam gignere et natum esse*. (3) Magister enim, libro I, distinctione XXXVI, capitulo II (*Sent. 1, 26, 2*), auctoritate Augustini, in libro *De fide ad Petrum*, scite sic inquit: «Iam de proprietatibus personarum uideamus, quae et notiones siue relationes in scriptura plerumque dicuntur in illa trinitate sancta, quae immo a nobis repetitur, ut nostro cordi tenacius infigatur. (4) Ait Augustinus in libro *De fide ad Petrum* (10, 7): "Aliud est genuisse quam natum esse; aliudque procedere quam genuisse uel natum esse. Vnde manifestum est quod alius est pater, alius est filius, alius est spiritus sanctus. Et est proprium solius patris, non quod non est natus ipse, sed quod unum filium genuit, sed quia de patris essentia natus est. (5) Proprium uero spiritus sancti est, non quia nec natus est ipse nec genuit, sed quia solus de patre filioque procedit". Ecce breuiter assignantur tres proprietates trium personarum, quarum una non est alia. Hoc enim significauit cum dixit *aliud est genuisse quam natum esse, aliudque procedere*, id est alia proprietas siue notio est generatio et alia natiuitas, alia processio, quae aliis nominibus dicuntur *paternitas, filiatio*. (6) Has proprietates designant nomina illa personarum, scilicet pater, filius, spiritus sanctus, quae relatiua sunt et ad se inuicem dicuntur, quia notant relationes, quae non sunt deo accidentales, sed in ipsis personis aeterno sunt immutabiliter, ut non modo appellationes sint relatiuae, sed etiam relationes siue notiones in rebus ipsis, scilicet in personis sint». (7) Idem in capitulo sequenti dicit (Petr. Lomb. *Sent. 1, 26, 3*): «Quo circa sciendum est non omne quod de deo dicitur dici secundum substantiam, quia quaedam dicuntur secundum relationem, quae non est accidens, quia non est mutabilis, ut Augustinus in V libro *De trinitate* (5, 5) docet: "Nihil in deo secundum accidens dicitur, quia nihil accidit ei, nec tamen omne quod dicitur secundum substantiam dicitur". (8) In rebus creatis atque mutabilibus, quod non secundum substantiam dicitur, restat ut secundum accidens dicatur. In deo autem nihil quidem secundum accidens, quia nihil in eo mutabile est aut amissibile. Nec tamen omne quod dicitur, secundum substantiam dicitur. (9) Dicitur enim ad aliquid, sicut pater ad filium et filius ad patrem, quod non est accidens, quia et ille semper pater et ille semper filius, et ita semper quia semper natus est filius, nec coepit unquam esse filius. (10) Quod si aliquando esse coepisset, aut aliquando desineret esse filius, secundum accidens diceretur. At quia pater non dicitur pater, nisi ex eo quod est ei filius, et filius non dicitur, nisi ex eo quod habet patrem, non secundum substantiam haec dicuntur, sed adinuicem ista dicuntur, neque tamen secundum accidens, quia et quod dicitur pater et quod dicitur filius, aeternum et incommutabile est eis. (11) Ex his uerbis aperte ostenditur quaedam dici de deo secundum substantiam, quaedam secundum relationem, nihil

tamen secundum accidens. Ostenditur etiam proprietates patris esse quod habet filium, et proprietates filii, quod habet patrem. Ideoque cum dixit *aeternum incommutabile esse, quod pater dicitur, et quod filius dicitur*, ita intelligi uouit, id est proprietates qua pater est pater, et proprietates qua filius est filius, aeterna est et incommutabilis, quia et pater semper est pater, et filius semper filius. (12) Vnde Hylarius proprietates personarum assignans, in XI libro *De trinitate* (12, 15) ait: "Si semper patri proprium est quod semper est pater, necesse est semper filio proprium esse, quod semper est filius. Vbi enim semper est pater, semper et filius est. Ergo, qui non semper pater est, non semper genuit". (13) Idem in eodem: "Nato deo, manifestum est proprium esse, quod filius est". Ea propter *aliud* non modo pro *distinctum* et *discretum* in diuinis personis, quando tertia persona in genere neutro declinatur, sed etiam in personarum proprietatibus affirmatiue dici potest.

[8] Hic autem non possum omittere, quod Nicolaus Perottus in capitulo de relatiuis (fol. k1u.) scite dicit: «Alius, -a, -ud ponitur relatiue, ut *uideo Petrum et alios homines*, licet enim antecedens, id est *Petrus*, differat ab aliis hominibus numero, conuenit tamen specie, quae est *homo*. Item discretiue, ut *ego sum alius a te*, id est quam tu. (2) Item discretiue, ut *hominum alii quiescunt, alii laborant. Alter et alius* quomodo differunt? *Alter* dicitur de duobus, *alius* uero de pluribus, sicut *uter*, ex quo componitur *neuter*, duorum tantum est interrogatiuum, *quis* uero plurium».

XV. Alia pro fluuio iuxta Romam.

[1] 45. regula quod *alia* generis masculini, teste Liuio libro V *Ab urbe condita*: «Fuluius est II lapide, Via Tyburtina, ab urbe distans e montibus Crustumeriis in Tyberim defluens. Apud hunc, 15 Kalendas Augusti Galli, duce Bremono, Romanos strauere, et post triduum urbem etiam deleuerunt, excepto Capitolio». (2) Et cum unico *-l* et *-i* latino secundum Seruium in VII *Aeneidos* scribi debet, quod Lucanus (7, 633) ostendit inueniens:

«Quas Aliae clades».

Virgilius autem VII *Aeneidos* cum duplici *-l*, metri causa, scripsit, dum ait (Aen. 7, 717):

«Quoque secans infantum interfluit Allia nomen»,

per quem modum *reliquias* non unquam cum duplicato *-l* scribimus. (3) Haec *Catholicon* corroborat, *Compraensorium*que et Ioannes Aretinus confirmat in *alia*; *alimodi* pro *alium modi* Festus Pompeius (Fest. 28) ponit.

XVI. De aduerbiis alias, alibi et alicubi.

[1] 46. *Aliás* ab *alius*, -a, -ud, id est in alio tempore, tunc temporis est aduerbium. Item in alio loco, tum loci. Insuper, id est *aliter*, sic est ordinis, *Genesis* XX (19, 12): «*Aliás* autem uere soror mea est, filia patris mei est, et non filia matris meae». Et ad differentiam *alias* nominis in fine acuitur secundum *Doctrinale* in XI^o, et *Catholicon* Aegidumque multis in locis. Et hoc Prisciani auctoritate in XV^o (15, 22), ubi de *-as* corroboratur sic dicentis: «In *-as* denotatiua inuenio, *-as* extrema circumflexa, ut *alias*». Idem Petrus Heliae confirmat.

[2] *Alibi* secundum 47 regulam aduerbium locale in loco significat, ab *alius* et *ibi* compositum. *Alicubi* aduerbium locale quoque in locoque significans ab *alius* ubique componitur, sed *-e* eufoniae causa interponitur, sed proprie *alibi* in alio loco dicit. (2) *Alicubi* uero *uspian* et in aliquo loco, Papias teste, quem referens *Catholicon* ista probat, secundum quod in his duobus accentus in penultima. Idem et de *alicui* est dicendum, licet secundum metricos sit trissyllabum, cum sit *cui* monosyllabum, ut in secundo libro, post principium, uidelicet in uersiculo *Secunda declinatio*, et uersiculo *Quod autem huic*, fuit declaratum. (3) In quo libro, uersiculo *De aduerbiis autem*, de *ubi* eiusque compositis plenissime disputaui. *Alicunde* de *alius* et *unde*, *-e* interposita, ut et *aliunde* sine interpositone tali de aliqua uel alia parte significat, et accentum in penultima habere debet, nisi usu ecclesiae haberet contrarium, quem debes corrigere, si apud te tantum ualeat auctoritas, ut Petrus Heliae in XIII scribit (cf. supra 2, 2, 1-2; 2, 2, 9).

[3] 48. *Alió* locale aduerbium, id est ad alium locum, descendit ab *alius*, ad cuius ablatiui differentiam in fine acuitur, ut *illó, istó, ipsó, eó, siquó, nequó, aliquó, equó, nunquó, quóquó*. *Doctrinale* XI capitulo (11, 2.303-304):

«Sic *aliás* acuis, facit hoc distantia uocum.

De pronominiibus aduerbia quae facis, addes»,

et ibi scribentes. (2) *Catholicon* in 2^a parte sui operis, in capitulo *De aduerbiorum accentu* (2, 18), ubi de terminatis in *-o* docet, et in capitulo *De impedimentis*, § *Causa differentiae* (2, 26), et in 5^a parte, in uerbo *alió*, ubi adiicit quod *alio* in datiuo secundum antiquos inuenitur. Matheus VIII: «Dico huic uade, et uadit, et alio ueni, et uenit». Et in hac 5^a parte passim de huiusmodi accentu reperies. (3) Nec in XV^o et libro *De accentu* Priscianum omittas scribentem multa ex praedictis et quod etiam *falsó* aduerbialiter positum ad nominis differentiam acuat in fine, quod et *Catholicon* in locis antedictis refert. Et uide quod supra, libro 2^o, uersiculo *De aduerbiis*, ibi: *Ceterum alia aduerbia*, scripserim. (4) Et in eodem libro, § *De quandoquidem, quando et quatenus*, usque ad uersiculum *Petrus Heliae*, et in hoc uersiculo de *alioquin, quod aliter, quod si minus, quod sin non uel aliter uel alio modo feceris*, et sic rationalis uel collectiua dici potest coniunctio, secundum *Catholicon*, iuxta Hugutionem, Papiamque significat. Ab *alius* et *quin* compositum dico secundum omnes auctores plenissime. (5) *Aliorsum* loci quoque est aduerbium, ex *alió* aduerbio et *uersum orsumque* compositum ad locum, id est uersus aliam partem notat, et secundum *Doctrinale* in XI^o accentum in antepenultima collocat. *Aliquantu* de *aliquantum* et *diu*, secundum Hugutionem compositum, *aliquantisper* significat. *Catholicon* referente et accentum in antepenultima retinet, cum penultima breuietur (cf. supra 2, 9, 1; 2, 23; Prisc. 15, 20).

[4] 49. *Aliquando* de *alius* et *quando* compositum *unquam, non unquam* et *quandoque* significat, cum temporis sit aduerbium, et in antepenultima habet accentum, licet penultima longa sit, et hoc propter *aliquanto* differentiam, nam, Hugucione teste, tanta secundum Teutonicos inter *-d-* et *-t-* est conuenientia, ut ex sono perpendi non possit utrumne *aliquando* *aliquantone* dicatur. Et idem *néquando* et *siquando* est dicendum, ut accentus in antepenultima teneatur, ne duae dictiones esse uideantur. (2) De his eorumque accentu, et de *quando* et omnino de non nullorum aduerbiorum *putá, circúm, poné, falsó*, et a pronomibus similibusque descendentium et praepositionum coniunctionumque accentu, Prisciani, Petri Heliae, *Doctrinalis, Catholicon* et Aegidi auctoritate in dicto uersiculo *De aduerbiis quandoquidem et quatenus*, usque ad uersiculum *Petrus Heliae*, copiose dico (cf. supra 2, 23).

[5] 50. *Aliquantisper* ex *aliquantis* ablatiuo et per compositum significat secundum Hugutionem *aliquantulum*, secundum Papiam *aliquandiu*, per *aliquantulum* temporis. (2) Nonius quoque Marcellus (511) *aliquantisper* commemorat, Quadrigarius in *Annali* I^o (fr. 60): «*Aliquantisper* pugnare nil promouet Poenus»; Caecilius in *Fallacia* (*Fall.* 51):

«Velim paulisper te operiri, quantisper non plus triduo»;

Pomponius in *Dotata* (*Dotata* 43): «Possum exorare te, ut secedas a me paulisper, modo quantisper sat est». (3) Et de *aliquantisper* et de *tantisper, paulisper* et *parunper* ad maximam temporis breuitatem spectantibus, supra, libro 2^o, § *Aliquantisper*, satis explico, ubi dicitur quod *tantisper* fere post se *dum* pro *donec* siue *quamdiu* petit, nam et *donec* duobus modis pro *usque ad quamdiu* accipitur; unde *tantisper, dum*, id est *tam diu, donec* dicitur et *tantisper interea tantummodoque* significat. (4) De his duobus postremis significatis, *Catholicon* et *Comprensorium* testantur, de prioribus Laurentius et ego, libro 2^o, capitulo 49. (5) *Aliquantus* de *alius* et *quantus* mobile, et inde *aliquantulus, -a, -um*, diminutiuum *aliquantulumque* aduerbium (cf. supra 2, 29; Valla, *Eleg.* 2, 48).

[6] *Aliquis, aliqua, aliquod* uel *aliquid* secundum 51 regulam ex *alius* et *quis* componitur, quasi ex *alio quis*, unde *credo in aliquem deum*, dici non debet, ne dubitationem ponere uideamur, et cetera infinita quae interrogatiua sunt, hanc compositionem habent, ut *aliqualis, alicubi, aliquando, aliquantulum* et similia. (2) Et hoc ideo, quia omnis diuersitas prouenit a substantiali uel accentuali forma, illa siue nominaliter siue aduerbialiter designetur, sed eam qui singulare non recipit et hoc facit relatio, quae duo uerba reperitur. *Siquis* forsitan obiiceret, *quod* et *qui* infinitum est. Et ideo *alius* cum *qui* potest componi, ut *aliquis aliquis* dicatur, facilis est responsio, quod *unum* superflueret, quippe cum inter *unum* et *alterum* nulla esset differentia. Magis ergo cum *quis* infinitatem habente componi debuit. (3) De hoc per *Catholicon* in 3^a parte sui operis, de figura nominis, in capitulo *De syllabicis adiectionibus*, § *Scire etiam debes* (3, 49). Et *aliquis* in nominatiuo generis feminini facit *aliqua*, ut *siquis, siqua, nequis, nequa*, et neutrum per *-d-* scribendum est. Et ablatiuus *aliquó* aduerbialiter poni potest ad aliquem locum significans, et tunc in fine debet acui, ad nominis differentiam. De hoc *Catholicon* in *aliquis*, et supra, in 48 regula plenius dictum et probatum est. (4) Et de differentia inter *quidam* et *aliquis*, quod cum *quisquam quispiamque* concordat, et inter *aliquis* et *ullus*, supra in 30 regula reperitur expositum. Et inter *quis* et *aliquis* Priscianus primo minoris assignat differentiam. *Quis* enim simplex infinitum et interrogatiuum est, sed *aliquis* ab eo compositum solummodo infinitum. Supra, libro 2^o, uersiculo *Priscianus primo minoris, carta XIII, § Et praeterea*, ibi: *Et quis quidem simplex*, cum aliis annotaui. (5) *Aliquorsum* de *aliquó* aduerbio et

uersum orsumue componitur, et *aliquorsum*, id est uersus aliquam partem fit secundum *Catholicon*, et in antepenultima secundum *Doctrinale* in XI^o, ibi *His orsum iungis*, retinetur accentus (cf. supra 4, 16, 3; 4, 11, 4; 2, 10, 9; Prisc. 17, 39).

[7] 52. regula. *Aliquot* de *alius* et *quot*, cum *-t-* scripto compositum, generis omnis et tantum pluratiter declinatum, numerale est numerumque importat, ut *aliquot homines studiose uiuunt*, quasi dicatur *non omnis*. *Aliquod* uero cum *-d-* scriptum neutri generis est et numeri singularis, ab *aliquisque* descendes, quod signum particulare est. (2) *Aliquotiens* autem ab *aliquot* proueniens est aduerbium numerale, uicibusque *aliquot* significat, et hanc regulam *Catholicon*, *Compraensorium* confirmant, quod et de sequenti dici debet.

XVII. Aliquotus, aliter.

[1] 53. *Aliquotus* de *alius* et *quotus*, quod primam corripit, componitur. Et ideo cum accentu in antepenultima pronunciandum est. Quod autem *quotus* primam corripiat, in X^o capitulo *Doctrinale* monstrat (10, 1.928):

«O supra *-t-* breuis, *quotus* et *noto* testis et *nota*».

Et *Graecismus* quoque: «Si queras *quotus* iste uenit, numerum tibi signas», *quotus*, id est cum quot sociis. «Si *quotus* iste sedet, poscas, tunc ordo uocatur», *quotus*, id est an primus an secundus sedeat. Sciendum autem quod pars aliquota alicuius totius est eius pars integra, unde *partes aliquotae* sunt dicendae, et numerus perfectus est, quippe cum partes eius aliquotae toti sint aequales. (2) De partibus autem aliquotis et non aliquotis in Aristotelis Petrique Hispani *Praedicamentis* (*Cat.* 4b20), in praedicamento quantitatis, iunctis glosatoribus, doctrina datur plenissima, utrobique nanque declarando scribitur quod partes sunt duplices: unae aliquotae, alterae non aliquotae. Aliquotae sunt quae sumptae aliquotiens totum suum reddunt, nec plus nec minus, ut V de X, bis enim V X faciunt, et unum, duo, tria de sex, nam unum secies sumptum, et duo ter, et tria bis sex constituunt. (3) Partes uero non aliquotae sunt, quae aliquotiens sumptae suum totum non efficiunt plus minusue reddentes, ut tria septemque X faciunt, sed aliquotiens suum totum non effingunt, sed plus minusue ut tria, bis, ter uel quater, et bis septem. Nec illud praetermittendum est triplicem esse numerum perfectum, diminutum et superabundantem seu excessum. (4) Perfectus est, cuius omnes partes aliquotae simul sumptae suum totum conficiunt, nec plus nec minus, ut in senario numero palam est, nam unum, duo, tria, quae partes aliquotae eius sunt, sex peragunt (5) Diminutus est, cuius partes aliquotae suum totum reddere non possunt, ut in octo liquet, nam tria et quattuor partes eius non octo sed septem formant, licet duo et quattuor suum totum reddeant. (6) Superbundans autem dicitur cum plures aliquotae partes non omnes suum totum aequaliter sed plus efficiant, ut in XII est perspicuum, unum profecto, duo, tria, quattuor et VI, quae partes eius aliquotae sunt, plus quam XII reddunt, reddunt enim XVI. Et notandum est quod triplex est numerus, numerans ut animalia, res numerata, ut denarii, numerandi ratio, ut numerus, in quantum est quantitas et est multitudo ex unitatibus aggregata.

[2] 54. *Aliter* de *alius* qualitatis est aduerbium, et ut *alius*, *aliquanto*, *secus*, *tanto*, *quanto*, *multo*, *paulo* et similia in *-o* terminata ut *eo* et *aliquantulo* et *ante postque* ad uim comparatiuorum accedit, sed haec in *-um* finita posituios cupiunt, nisi pro his quae in *-o* exeunt, abutamur, ut Laurentius Vallensis, libro I, capitulo XVIII^o et ego in meo *Elegantiarum breuiario*, eodem libro et capitulo, plenissime reseramus, et supra, libro II^o, uersiculo *Item ut in XVIII dicti libri primi habetur capitulo*, ad uerbum scripsi. (2) Nec praetereundum est quod *longe*, *multo facileque* superaltiuos flagitant, et *longe multoque* comparatiuis et aduerbiis; *aliter*, *secus*, *ante*, *post* et nomini *alius* et compositis a *prae* superlationeque habentibus, ut *superat* et *uincit*, diuersitatemque notantibus, ut *diuersus* et *dissimilis*, coniunguntur, *longeque* et *facile*, *princeps*, *praecipuus*, *primus*, *secundus*, similibusque adduntur. (3) Et tandem *longe* pro *ualde* proprium comparatiui superlatiuique habetur, paucis exceptis, ipsum uero *ualde* positui et uerbi. Id quod et Laurentius, libro I^o, capitulo XX^o, et ego in meo *Elegantiarum breuiario*, eodem loco, copiose pando. Quod supra, libro II^o, uersiculo *Idem Laurentius eodem libro, capitulo XX^o*, nominatim dico (cf. supra 2, 12, 3; 2, 14, 1; Valla, *Eleg* 1, 16; 1, 18).